

VITA  
**B. HERMANNI**  
COGNOMENTO  
**JOSEPHI**

Ordinis Præmonstratensis in Steinfeld :

Ex ijs

*Quæ de eo refert*

**R. P. Godefridus Henschenius S. J.**

In vitis Sanctorum ad septimum Aprilis,

In compendium redacta :

ET ALIA

**QUÆDAM SPIRITUALIA**

Ab altera parte paginæ designata.

I 6

8 9.



**N E V H U S I ,**

**Imprimebat Joannes Todt, Typogr. Aulicus  
sive Celsitudinis Paderborn.**


# INDEX.

- Vita Beati Hermanni. Pag. 1
- Breves annotationes circa contritione  
et examen conscientiae. 18
- Meditationes pro singulis hebdomadæ  
diebus. 28
- Piæ Protestationes quotidie reno-  
vanda. 41
- Compendium vitæ S. Liborij cum anti-  
quissima oratione contra morbum  
Calculi. 48
- Patrocinium divæ Apolloniæ pro denti-  
um dolore. 51
- Oratio S. Augustini, sumpta ex magna  
tabula Lateran. Eccles. cum Indulg. 52
- Vita S. Geroldi Mart. 55
- Sententiæ singulis mensibus anni, à quo-  
vis Christiano considerandæ. 58
- Via vitæ aternæ ex Leonardi Lessij S. F.  
lib. 4. de summo bono. 61
- Cogitationes Christianæ quolibet die  
mensis utiliter suscipienda. 119
- Ad S. Antonium de Padua. 172



C. Appelman sculpsit

D E U S , qui B. Hermannum Joseph , confessorem  
tuum , adeo benedictionibus dulcedinis prævenisti , ut à  
pueritiâ creberrimis gloria Virginis M A R I Æ  
visitationibus & alloquijs frui , eique per Angelum  
desponsari mereretur : praesta quæsumus , ut innocentis &  
sanctæ vite ejus vestigijs insistentes , ad cælestem patriam ,  
in qua glorijs exultat , securi perveniamus  
per Dominum nostrum &c.



COMPENDIUM VITÆ.  
**B. HERMANNI JOSEPHI,**

Canonici Ordinis Præmonstratenſ. in Steinfeld.

§ I. *Pueritia B. Hermanni.*

**B**atus Hermannus, cognomento Josephus, Coloniæ Agrippinæ honesto loco natus, quantâ vitæ futurus esset Sanctimoniam, à primâ statim pueritiâ patefecit; nam & parentibus plenè subditus, & à fluxis seculi voluptatibus prorsus alienus, innocuos vitæ annos primos transagit, expers eorum criminum, quibus alioquin puerilis ætas obnoxia esse solet. Septennis ad Scholas traductus sedulò quidem in literarum studia incubuit, majorem tamen pietatis curam gessit: adeo ut ceteris condiscipulis lusu statis se temporibus oblectantibus, hic delicias suas in monasterio quodam coram imagine Deiparæ quæreret, simplicitate ac innocentia verè columbinâ cum Divâ Virgine ejusq; filio conversando. Cujus ingenuæ innocentisq; conversationis hosce admiratione plenos & raro auditos fructus tulit, ut invitatus

A 3

ab

ab amabili Matre cum puero J e s u innocuè luderet, & aliàs lapidem ab illâ cognosceret, sub quo pecuniam reperit, quoties cā ad coēmenda vestimenta, aliaq; in scholis necessaria indiguisset.

### § 2. *Ingressus in Religionem*

Anno ætatis duodecimo, mundo( quem verius non cognovit, quām deseruit) valedicto, in Domum Domini ire decrevit. Aptissima tum hujusmodi domus Candidissimæ animæ visa sacer, & candidus Præmonstraten-sium Ordo, primo vigore suo cā tempestate florentissimus. Ad hunc igitur in loco Steinfeld dicto 5. milliaribus Coloniâ distito, illico properavit, votiq; sui brevi factus compos, Religiosum habitum miro animi sui gaudio induit, itaq; in eo se gescit, statimq; profecit, ut valeret sapientia & gratia tam apud Deum, quam apud homines.

### § 3. *Studia in Frisia.*

Interea dum adolesceret, studiorum causâ missus cum alijs coætaneis in Frisiā, pietatem ad omnia utilem exemplo ibidem suo luculenter demonstravit ; dum enim more suo

suo nihil de continuo pietatis aliarumq; virtutum studio remitteret, ita in profanarum palæstrâ scientiarum se exercuit, ut omnibus qui cum eo Gymnasium frequentabant, condiscipulis palmam præriperet. Quo etiam tempore inter alios Cæli favores & hunc expertus est, quod ab enormi & molesta capitis scabie miro & subito modo à Domino D e o liberaretur.

§ 4. *Reditus in Steinfeld.*

Profanis jam sat excultus scientijs, rediit ad primum suscepitæ Religionis locum, ubi munus deserviendi Fratribus suis in triclinio ei demandatum; quod dum magnâ quidem charitate, at ob præzeptum sibi pro voto suo contemplandi tempus, tristius quam par erat, obiret, curam denuo clientis sui gessit solicita Magna Mater, & coram HERMANNO se sistens monuit, ut alacriter injunctum sibi officium expleret; nihil hoc charitatis & obedientiæ obsequio D e o gratiū esse. Nec sognius deinde hic paruit, quām illa demandaverat.

Compendium vite

§ 5 Prefectura Sacrarij.

At Deus fidelis servi sui desiderijs obsequuturus, quò aptius divina pro voto contemplandi tempus suppèteret, ut Sacrario præficeretur, effecit. Hic mirum est, quantâ seculitate B. HERMANNUS & curaret res DEO consecratas, & cælestium meditationi se impenderet, somni, cibi, potusq; penè cblitus, totum propemodum tempus pijs laboribus, & vel maximè consideratione divinorum insumebat: plus ceteris Fratribus & laborando & orando; adeo ut hi commiseratione tacti mitiora suaderent; sed ille totum prætentis vitæ tempus reputans pœnitentiæ destinatum, superfluum judicabat & vanum, si quid corpori indulisset. Verùm quò inclemensius ipse se tractabat, eò suavius & sapientius Cælum ad blandiebatur: nam & crebro videndam se exhibebat DEI Mater, Suavissimis eum alloquijs dignata, & obversabantur obtutibus illius cælestes Genij Fratribus in Choro ministrare visi, & miro supernoque odore, cum divina tractaret, cælum perfundebat.

§ 6.

§ 6. *Desponsatio ejus cum B. Virgine.*

Quæ inter à superis profecta beneficia, ratiōnabilissimum est, quod eodem hoc tempore, quo Sacrario præfuit, contigisse narratur. Appellari passim cœperat nomine Josephi, vocabulo ut honorifico, ita B. HERMANNO de-mittendi sui studiofissimo non parum molesto. Ab hoc igitur nomine sibi imponendo ut Fratres deinceps desisterent, per impetrata Superiorum imperia cogere meditabatur, cùm noctu consuetis suis precibus vacanti adest Cælorum Regina, binis cælestibus Genijs stipata; quorum unus jubet Hermannum propius accedere, & præ pudore tergi versantem apprehensâ ejus manu ad accessum compellit; tum manum ejus manui divæ Virginis jungens, his verbis Virgini Matri despontat: *Ecce, inquit, hanc Virginem tibi trado in Sponsam, sicut fuit desponsata Ioseph, ut nomen Sponsi pariter cum Sponsa accipias, & de cetero Ioseph erit nomen tuum.* Atque hæc origo cognimenti Joseph: hæc palmaris Deiparæ in HERMANNUM collata gratia, paucissimis divisorum hactenus concessa.

*§ 7. Ecclases in Sacro.*

Pergebat B. Hermannus in imposito sibi  
Sacrarij munere, incremento virtutis eo ma-  
jore, quò magis provehebatur ætate; & au-  
gebantur mirum in modum cælestes favores,  
animadversi ab alijs, cùm Sacris operantem  
aspicerent; eo enim tempore (ad quod sum-  
mo se studio præparabat, quodque accura-  
tissima diligentia insumebat) abreptus extra  
se, apertis oculis frequentissimè nihil vide-  
bat: & patiebatur divina, quæ nunquam pu-  
tabat licere sibi homini loqui; unde sæpius à  
familiaribus rogatus, induci non potuit, ut ea  
revelaret, certam dictitans fore gratiarum ja-  
cturam, si arcana cælestia imprudens D E O  
invito pandisset.

*§ 8. Virtutes primarie.*

Jam divinis hisce studijs & gratijs respon-  
debant virtutes ceteræ; Angelica in primis  
puritas, quæ nullis unquam libidinum facibus  
ambusta, excelsò proflus gradu in eo eminu-  
it, adeo ut gemma Virginum, lilyum Castita-  
tis, Vas electum continentia, agnus innocen-  
tiæ, & Virgo Virginum suo tempore dicere-  
tur.

tur. Demissio deinde animi tam profundas in illo egerat radices, ut licet heroicarum excel- sitate virtutum, cælestiumque & insolitorum abundantiam donorum ceteris præemineret, ipse tamen & vilissimum se arbitratetur, & pro stulto aut parum sapiente ab alijs haberi exoptaret; sat nimirum gnarus, Humilitate di- vina dona tutò custodiri, elatione verò animi illico dissipari. Humilitati tantæ juncta non minor patientia. Vexatus multis & penè con- tinuis infirmitatibus corporis, debilitate sto- machi, dolore capitis, defectione creberrimam cordis, prohibitusque à Deo refocillare se commoditatibus ciborum, potūs, molliumq; stratorum; adhæc diversis appetitus contu- melijs tam à domesticis, quam ab externis, varijsq; Dæmonis exagitatus infestationibus, sustinuit omnia incredibili mentis æquitate, & tanquam aurum in fornace probatus, hoc egit, ut dignus Deo inveniretur. Superavit denique & has & alias virtutes, quæ omnium radix & origo est, Charitas; qua inflammante & carnis illecebrosas voluptates respuit, & infra omnes sese creaturas demisit, & adversa quælibet sive in corpore sive in anima invictâ semper patientiâ toleravit, & afflictorum ubi- vis

vis necessitatibus occurrit, & nihil, dum inter mortales vixit, nisi unicam dilecti sui super omnia D E I O. M. gloriam quæsivit; quem vel leviter offendere semper veritus, quibuscunq; modis potuit, honoravit; cuius deniq; desiderio clanguit, cupiens identidem dissolvi vinculis corporis, ut concupitis dudum D E I sui amplexibus frui posset.

§ 9. *Varij celestes favores.*

At priusquam felix illius ad cœlum transitus referatur, juvat strictem persequi, memoratisque virtutibus annexere reliquos Divinæ Benignitatis favores, quibus in hac mortali vitâ cumulatus fuit. Christi Domini frequentibus apparitionibus dignatus, multa ab illo præter naturæ ordinem impetravit, multa arcana & futura didicit: Sancti cum primis Engelberti Archiepiscopi Colonensis necem; de cuius gloriâ Martyrij, cùm nonnihil dubitaret, oculorum dolore castigatus, cereis ad Martyris hujus sepulchrum oculis oblatis perlanatus est. Apparuerunt & crebro S. Angeli, è quibus fuit, qui B. Hermannum humilitatis virtute omnibus mortalibus præcelere nonnemini revelavit. S. Ursula cum Soldalibus

dalibus docuit eum hymnum ad laudem ipsarum componere, multiplicique deinceps favore prosecuta est. Sed familiariter super omnes consuetudine usus est magnæ Matris, ab ea enim (ut fileantur superius memorata) per multos annos singulis penè noctibus in dubijs instructus, in adversis confortatus, & ad pergendum strenuè in Divino servitio animatus fuit; ut mirum non sit, sub tali magisterio discipulum maximè docilem tantum pro fecisse.

§ 10. *Obitus.*

Placuit tandem divinæ Majestati florem hunc terrestrem, cælesti plantario inferere. Instante itaque mortis tempore, cum Quadragesimam admirandâ omnibus abstinentiâ transgisset, peritus & missus ad Cœnobium Virginum Cisterciensium in Hoven, insolita alacritate Virginibus in divinis deservivit; at paulò post Dominicam Palmarum lethali correptus febri, paucisque interjectis diebus ad finem vitæ deductus, erecto corde & vultu Spiritum suum Deo commendans ad cœlum migravit, post annum Christi MCCXXX, VII, vel ut alij volunt, vi Aprilis. Sepultus apud

apud nominatas Sanctimoniales , in loco , quem Cœnobium earum primū ingressus baculo suo sibi pro sepultura designārat.

### § II. *Translatio.*

Canonici Steinfeldenses , qui ægre sanctum fratrem à se dimiserant, intellecto ejus obitu, multò ægiūstulerunt talem à se Thesaurum abalienatum ; quem cùm prædictæ Virgines repetitum nollent dimittere, imploratâ Archiepiscopi Coloniensis ope, Steinfeldenses recuperârunt , & post septem hebdomadas repertum prorsus incorruptum ad Monasterium suum transtulerunt : Signis subinde & miraculis plurimis subsecutis.

### § 12. *Miracula.*

Etenim Corpore Divi incorrupto ac flexibili diu viventis ad instar permanente , plurimi undique ad B. tumulum acurrentes, imploratâ diversis in necessitatibus ejus ope, adjutos se palam contestati sunt, quos omnes hîc referre longum foret. Breviter de his & verè Reverendissimus Dominus Joannes Chrysostomus van der Sterre: *Ejus Sanctissimo interventu varij ad vitam mor-*

*mortui sunt revocati, cæci illuminati, surdi sanati, phrenetici & hydropici curati, Dæmones effugati, & plurima alia miracula patrata.*

§ 13. *Supremi in terris honores desiderati.*

Vitâ hac, virtutibus, prodigijsq; cognitis, permota magna Reipublicæ Christianæ capita supremos B. Hermanno honores à Christi in terris vicario decerni summopere exoptârunt. Egit hanc causam strenuè Ferdinandus II. pientissimus Imperator; egit & alter Ferdinandus Coloniensis Elector, in cuius Archidiœcesi Beatus vixit & requiescit, formatis curatisque de vita, virtutibus, & miraculis B. Hermanni legitimis instrumentis. Interea consuetis Beatorum honoribus B. Hermannus tum circumquaq; in Patria sua, tum montibus Hannoniæ & Antwerpiæ, tum deniq; in diœcesi Paderbornensi, postquam ejusdem Episcopus & Princeps HERMAN-NUS WERNERUS notabili Reliquiarum parte à Reverendissimo Domino Abate Steinfeldensi Theodoro Firmenich donatus, quam porro, cultum illius promovere desiderans, in Cathedralis suæ Ecclesiæ Sacello S. Elisabethæ suis sumptibus exstructo, & per

sc

se ipsum 13. Mensis Junij Anno 1689. in honorem quoque hujus Beati, & S. Antonij de Padua, atque antiquorum Patronorum ejusdem: nempe S. Joannis Evangelistæ, Martini Episcopi & S. Elisabethæ viduæ, ac reliquorum Sanctorum Patronorum Ecclesiæ consecrato, cum alijs S. Reliquijs infra specificatis venerandam asservari & exponi voluit, die anniversario consecrationis in Dominicam post octavam corporis Christi ex causis translato.

Reliquiæ, quæ in præfato Sacello honorandæ asservantur, sunt, præter illam de B. Hermanno, pars brachij de S. Ambrosio Episcopo, & S. Pusinna Virgine.

In scabello Altaris de SS. Martyribus, Victorino, Crispino, Wigberto, Hypolito, De SS. Daniele & Magno, Claro: de sanctis Virginibus Odilia, Columbina & Crispula atque ex societate undecim mill. Virg.

In pede crucis de SS. Jacobo & Andrea Apost. S. Marco Evangelista, S. Laurentio Mart. SS. Augustino & Martino Episcopis, de vestimentis S. Joannis Evangelistæ, de S. Heinrico Imp. & de ligno S. Crucis.

In sepulchro Altaris.

De SS. Ignatio Martyr. Lamberto, Blasio, Felici,

Felici, Florentio : de SS. Thebeis : SS. Gregorio & Leone PP. S. Celso & Auctore : de societ. S. Ursulæ, de Calvaria loco, quæ in antiquo olim circa annum 1376. consecrato & Anno 1687. destrueto Altari repertæ & cum Reliquijs de S. Andrea Apost. Marco Evang. S. Laurentio Martyr. S. Ambrosio, Martino & Godehardo Episc. S. Meinolpho & Hermanno Conf. ac de SS. Barbara, Petronella & Pusinha Virg. 13. Junij Anno 1689. in novum repositæ fuerunt, quod pro memoria posteritatis hic subjungere placuit.

In statua S. Antonij de Padua reperiuntur Medaliae & alia, quæ ejus Reliquias, præser-tim linguam Sancti attigerunt.

**B** **Breves**

Breves Annotationes  
CIRCA CONTRITIONEM  
ET  
EXAMEN CONSCIENTIAE.

**N**otabile I. In quo assignantur quædam rationes, quæ quemlibet Christianorum ad actus Contritionis frequenter, aut ad minus mane & vesperi exercendos, efficaciter movere valent.

Ratio 1. Cùm Dicitur, qui est principium sapientiae, primò & principaliter hominem moveat ad reconciliandum se divinæ Majestati, quod tamen sine contritione (in defectu confessionis,) non obtinetur, ideo convenientissimum est, ut præ cunctis majori curæ ducatur.

Ratio 2. Omnia opera bona, ut ante Deum æternæ vitæ meritoria sint, contritionem necessariò prærequirunt (loquendo de eo, qui est extra statum gratiæ) & contritio absq; quibus cunque bonis operibus ad salutem acquirendam se solâ sufficientissima est (in defectu confessionis) quapropter illi magis, quam

liori & necessariori omni studio incumbendum est.

Ratio 3. Præterquam, quod in alijs exercitijs Spiritualibus simpliciores non raro imprudenter excedendo deficiant; adhuc conversatio prava & vita peccaminosa stare possunt, cum contritione autem, in qua nullus potest esse excessus, vitæ malè actæ emendatio necessariò cohæret.

Ratio 4. Cùm ex gravissimorum Theologorum sententia, in hora mortis quilibet, qui est extra statum gratiæ, nec habet facultatem confitendi, teneatur ad veram contritionem procurandam : hinc quām convenientissimum est, contritionis exercitium sibi familiare reddere, & ad minus, dum mane surgit, & antequam decumbat, se in illo exercere, & id ipsum pro posse omnibus persuadere, ne quisquam in hora mortis doloribus & anxietatibus circumdatus, operisque inassueti difficultate obrutus, nullum contritionis actum elicere valeat, & ita miserè pereat.

Ratio 5. Cùm fides doceat, eum, qui mortiferum peccatum admiserit, nisi ad minus veram contritionem cum proposito statuto tempore confitendi, habuerit, salvari minimè

20 Breves Annotationes circa Contrit.

posse: ex alia verò parte, ne ullus quidem unico momento de vita securus sit, quid prudenter fieri poterit, quām continuò in contritione pro animæ suæ salute versari?

Ratio 6. Quamvis Theologi fateantur cum Sacramento Pœnitentiæ actum attritionis ad peccatorum veniam consequendam sufficere, attamen non omnibus confitendi tempus conceditur, & licet concedatur, qui in actibus contritionis non est exercitatus, vix sufficientem attritionem assequetur.

Ratio 7. Ad emendationem vitæ, exstirpationem vitiorum, mortificationem corporis & passionum, ad sustinendas & voluntariè remittendas injurias, ad proficiendum in via spirituali, amore Dei, gratitudine erga ipsum pro beneficijs acceptis, ac denique ad perseverandum usque ad mortem in bono proposito neque fortior, neque efficacior reperitur stimulus continuo & fervido contritionis exercitio, quod alumnos suos sensim mirâ suavitate, & velocitate ad perfectionis culmen evehit. E contrà verò ex hujus neglectu non tardij, quorum conversatio in cœlis esse videbatur in fine miserè cadunt & pereunt, non aliam sane ob causam, quām quod divini timoris

moris & hujus Sancti exercitii oblieti, contra Spiritus S. consilium de propitiato peccato sine metu fuerint; ex quo utilitas simul & necessitas hujus exercitij facilè elueat.

Notabile II. In quo annotatur, quid sit Contritio, quænam ejus præstantia, quæve ad illam requirantur.

Quantum ad primum, Contritio est dolor & detestatio peccati commissi propter Deum summè dilectum. Quando verò dolor non provenit principaliter ex amore Dei, sed vel ex consideratione deformitatis peccati, pœnarum inferni, aut similium, non contritio sed attritio est, de qua nobis sermo non est.

Porrò tanti valoris est vera contritio, ut qui illam habet, quantumvis gravissimorum peccatorum reus esset, cunctorum veniam adipiscatur, in gratiam & amicitiam Dei recipiatur, virtutemq; & Spiritus S. dona peccatis amissa recuperet, & si absque confessione repente illum mori contingeret, nihilominus infallibiliter æternam beatitudinem consequatur. Contritio præsupposita fide in Christum Jesum principaliter in DEI super omnia dilectione fundatur, continetque tria:

Primum est dolor intensissimus propter divinam Majestatem offendam, omni amore, honore & obsequio dignissimam. Hic dolor elicetur 1. ex consideratione bonorum, quæ per divinam offendam perduntur, uti sunt gratia & amicitia Dei, quæ cum multis para-sangis alia bona excedant, illorum perditio omnibus divitijs, honoribus vitaq; ipsâ majorē dolorem cauſare debet. 2. Considerando mala, quæ mortale peccatum consequuntur, scilicet inimicitia Dei, servitus Diaboli, turpitudo, Diabolica deformitas, & æterna damnatio, quæ cum omnia majora sint, & horribilia, quam omnia mundi supplicia, magis quoque animum excruciare debent. O bonitas infinita, unicum peccatum mortale tanta mala secum trahat, quid facient multa!

Secundum, quod ad contritionem requiritur, est firmum propositum ultrà non peccandi, neque pro ulla re totius mundi charifima consequenda, neque pro ullo quantumvis maximo malo, tormentove crudelissimo evitando.

Malum quippe, quod incurritur, & bonum quod perditur (uti dictum est) omnia, quæ

quæ mundus habet excedit. Cum hoc proposito generali conjungi debet propositum restituendi ea, ad quorum restitutionem tenetur, observandi maximâ exactione Dei & Ecclesiæ præcepta, satis faciendi generalibus & particularibus obligationibus, evitandi occasionses Deum adeò bonum ultrà offendendi, specialiterq; statuto ab Ecclesia tempore confitendi, explendiq; injunctam pœnitentiam, offerendo pro majore satisfactione vitam, opera, cunctosq; labores suos.

Tertium contritionis requisitum est peti-  
tio & spes remissionis omnium suorum pec-  
catorum, gratiæ se emendandi, perseveran-  
diq; in gratia usque ad mortem. Hæc peti-  
tio fundari debet in bonitate & misericordia  
Dei, meritis, pretiosissima passione & morte  
Domini Iesu Christi Redemptoris nostri.

PRACTICA  
ACTUS CONTRITIONIS

*In modum Orationis redacta.*

Potentissime & Clementissime D E U S,  
Creator & Salvator meus, doleo extoto  
corde propter te summè dilectum, quod te  
offenderim; propono nunquam ultra pecca-

B 4

re, omnes peccandi occasiones evitare; peccata mea confiteri, pœnitentiamque injunctam implere, vitam, cuncta opera, molestias laboresque vitæ meæ tibi pro peccatorum meorum satisfactione offero, sperans in tua bonitate, & misericordia: rogo te, ut propter merita & preiosissimam mortem unigeniti tui mihi propitius esse digneris, largarisque mihi gratiam emendandi me, & usque ad mortem in bono perseverandi. Amen.

Notabile III. Continens modum Examens Conscientiæ manè & vesperi instituendi.

Explorato vitio, quo quis magis infestatur, statim ac è somno expurgiscitur, datis Deo gratijs, quod illum à subitanæ morte præservaverit, factoque supra assignato actu contritionis particulariter sibi proponat ut sequitur:

Desidero Domine te amare, tibiisque ex toto corde servire, illudq; mihi firmiter propono: Concede mihi rogo gratiam tuam, ut totam vitam meam in tuo servitio impendam, & potius nullies moriar, quam te in ulla re offendam, specialiter in illa, in qua particulariter deficere consuevi.

In dicti decursu sollicitus esse debet de prædicto

dicto proposito observando, illudque scipius renovare : uti quando audit horologium, dum domo egreditur, aliquod opus aggreditur, & specialiter quando tentatur, aut aliquod peccandi periculum adest. Verum in hoc ultimo casu ultra propositi renovationem, signo Crucis, & dulcissimorum nominum J E S U & M A R I A E invocatione se munire oportet & dicere aliquam orationem devotam, viriliterque usque ad temptationis victoriam decertare ; si autem quempiam ex humana fragilitate cadere contingat, non cadat animo, verum de culpa dolens a Deo magnâ fiduciâ veniam petat, & percutiendo peccatum dicat : O Domine quid feci ? ignosce mihi permerita & pretiosissimam passionem unigeniti filij tui, doleo quod infinitam beatitudinem tuam offenderim. O utinam potius millies mortuus fuisset, quam te offendisse largire mihi obsecro gratiam tuam, ut delictum meum confitear, & nunquam in illud relabari.

Quotiescumque ceciderit, faciat ex corde prædictum actum, & novo fervore propositum observare statuat & procuret. Imo quantumvis diligentissime, ne cadat, invigi-

lare debeat, attamen licet nullies de die caderet, non propter ea animum despondere, sed magno fervore resurgere oportet; sicuti, qui in lutoſo & fōrdido loco labitur, non illuc diu commoratur, sed quātocyus surgere sequē mundare festinat.

**T R O N O C T E**

**A**ntequam decumbat, flexis genibus, aut si nequit, majori quā potest reverentiā, clapsi diei rationem exiget sequenti modo: 1. Dicet gratias tibi ago Domine Deus pro omnibus beneficijs mihi totā vitā & specialiter hodiernā die in anima & corpore, cæterisq; bonis præstitis. Præcipuè vero gratias tibi ago pro præsenti tempore, quod mihi ad conscientiæ meæ examen concedis: Largire mihi obsecro gratiam peccata mea cognoscendi, simul & emendandi.

Secundò: videbit, quoties in principali suo vitio ceciderit, aut victor exstiterit. Ut autem hoc facilius fiat, consulunt SS. Patres interdiu aliquo signo defectus, & victorias annotare, ut eorum ratio vesperi facile habeatur. Deinde discurret per omnes diei horas, examinabitq; culpas alias contrā Deum, proximum & scipsum

seipsum cogitatione, verbo & opere commis-  
fas, adverteret etiam studiosè peccandi occa-  
siones.

Tertiò : recognoscendo malitiam & pec-  
cata sua, summâ humilitate coram divina Ma-  
jestate se mittens dicet :

Pudet me Domine, quod tam parum tibi  
servierim, è contra verò his peccatis meis,  
alijsque pluribus, quæ propter miseriam &  
ignorantiam meam non agnosco, tam enor-  
miter te offenderim. Gratias tibi ago, quod à  
pluribus & majoribus peccatis, in quæ ceci-  
dissem, gratiâ tuâ me benignè præservaveris,  
& custodieris.

Quartò : maximo dolore percutiens pe-  
ctus rogabit veniam peccatorum suorum,  
proponet illa emendare, & peccandi occasio-  
nes evitare eliciendo humiliter supraposi-  
tum actum contritionis.

Cùm verò Examen conscientiae sit instar  
pretiosissimi thesauri, methodus illud fru-  
tuosè instituendi summâ diligentia inqui-  
renda, inventaque exactissime practicanda, &  
pro eo divina gratia ferventer imploranda :  
Secundò ob nullum impedimentum, aut  
qualemcumque occupationem intermitten-  
dum,

dum, & si quandoque ante factum examen  
obdormire contingat, statim ac quis expergi-  
scitur, instituatur, contubernalesque &  
matrimonio juncti hujus sancti exercitij usum  
invicem edoceant, seque mutuo ad illud pra-  
cticandum exhortentur. Tertiò singulis Sab-  
batis de clapsa septimana, in fine singulorum  
mensium de toto mense, & in fine anni de  
toto anno instituatur.

## MATERIA ORATIONIS.

*Pro singulis hebdomade diebus.*

**P**ostquam currentis diei infra assignatam  
materiam semel aut iterum perlegeris,  
antequam orationem incipias, spatio unius  
**A V E M A R I A** elevando cor in Deum, con-  
siderabis, qualiter ad colloquendum cum  
**D E O** infinitæ Majestatis accedas, cum ta-  
men quantum ad corpus non sis nisi pulvis &  
cinis, quantum vero ad animam infelix pec-  
cator. Ex hac consideratione concipies pro-  
fundissimam humilitatem, reverentiam & fi-  
duciam erga divinam Majestatem, flexis ge-  
nibus confessionem dices, & aliquem actum  
contritionis elicies, offeresq; æterno Patri in  
unione

*pro singulis hebdomadæ diebus.*

29

unione meritorum JESU CHRISTI te-  
tum, omnes cogitationes, verba & opera illi-  
us dici unà cum omnibus potentijs, memo-  
ria, intellectu, voluntateq; petendo lumen, &  
gratiam ad faciendam orationem & pios af-  
fectus pro gloria DEI & animæ tuæ salute ex  
proposita orationis materia eruendos: post-  
modū de sequentibus materijs meditaberis.

PRO DIE DOMINICA

MEDITATIO PRIMA.

*De anima paupere & Deo divite.*

**C**onsiderabis, quām pauper, miserabilis  
& afflita sit anima sine Deo, quām verò  
dives, honorata, & consolata cum DEO, re-  
flectenq; suprà se ipsum, si te in gratia consti-  
tutum inveneris (quantumvis omnibus alijs  
careres) divitem & felicem existimabis: si  
verò te gratia excidisse videris, pauperem &  
desolatam reputabis, & mendici instar ante  
DEUM prostratus eleemosynam, & panem  
cœli pro animæ tuæ salute rogabis.

Intueberis aliquantulum extremam ani-  
mæ tuæ paupertatem, in qua ex parte tua, ma-  
li quidem plurimum, boni verò né quidem  
minimum quid unquam repertum est, mi-  
sera

sera anima tua, deficiente cibo & potu spirituali supernarum consolationum fame & siti pereunte. Discurses per omnes virtutes, considerabisque qualiter omnibus careas, easque ex te ne quidem acquirere valeas: ideo ad portas divinæ misericordiæ mendici instar stipem flagitabis.

Pauper magnâ humilitate, & si necessitas urgeat, multis lachrymis eleemosynam petit, vulnera sua detegit, ut homines ad compassionem moveat; perseverat in petendo, quo-cunq; sibi dato contentus est, pro illoq; gratias agit. Similiter ad DEUM & Dominum tuum, æq; divitem ac misericordem magnâ humilitate te conferes, rogans ipsum cum humilitate & lachrymis, ut oculis misericordiæ suæ te respiciat, tibiq; compatiatur. Ad commovenda misericordiæ ipsius viscera, vulnera tua ipsi ostendes, dicendo te debilem ad opera misericordiæ excercenda, cœcum ad propriam miseriā cognoscendam, surdum ad divinas inspirationes, & mutum ad defectuum confessionem. Petes fiducialiter, & perseveranter, suscipiens grato & resignato animo, quidquid tibi concedere dignabitur.

Accedes etiam ad portas omnium super-norum

norum Civium, humiliter & perseveranter à singulis eleemosynam poscendo, præcipue à B. V. M A R I A , ab illa petes, ut tibi impetrat puritatem cordis, ab Apostolis fidem, à Martyribus charitatem, à Virginibus castitatem, à Confessoribus patientiam, à Cherubinis amorem, à Seraphinis sapientiam, ab Angelis obedientiam, à specialibus Patronis tuis peculiarium necessitatum remedia, ac denique interponendo omnium Sanctorum preces & merita, à SS. Trinitate per merita Christi integrum animæ remedium postulabis.

**P R O F E R I A III.**

**M E D I T A T I O S E C U N D A .**

*De Creatura ante Creatorem suum.*

**C**onsiderabis, quod à Deo in hoc mundo creatus sis, tibique omnis creatura serviat & adjumento sit ad serviendum in praesenti vitâ C H R I S T O J E S U coque in futura fruendi; igitur extra ipsum tanquam centrum tuum, quietem æque parum, ac omnia elementa extra suum invenies.

Meditaberis, qualiter omnis creatura tibi ex D e i præcepto inserviat, sol mundum ilumi-

luminando, aër producendo aves, mare pisces, terra animalia in cibum, vestitum, aliosq; necessarios usus subministrando; tu vero, omnibus creaturis Dei voluntatem implentibus, solus rebellis totâ vitâ tuâ fueris.

Discurses per omnes animæ tuæ potentias & sensibus tam internos, quâm externos, considerabisq; qualiter omnibus contra Deum pugnaveris, memorâ vanis, intellectu terrenis, voluntate mundanis, & sensibus voluptatibus illicitis inhærendo, totamq; vitam in maximis peccatis transfigendo.

Cogitabis insuper, quâm strictam rationem de omnibus donis tibi præstitis, animæ potentias, sensibus, omnibus annis, diebus, horis, imò momentis vitæ tuæ reddere dedebis.

Ex quâ consideratione concipies magnum timorem districti illius judicij, statuensq; te emendare & creaturis non nisi ad Deo serviendum uti, fugere vero, quantum à Deo abducunt.

In quem finem dices semel Pater noster &c. & Ave Maria, ad divinum auxilium implorandum.

P R O

*pro singulis hebdomadæ diebus.*

33

PRO FERIA III.

## MEDITATIO TERTIA.

*De filio prodigo.*

**C**onsiderabis, qualiter Deus ex immenso sua pietate per merita unigeniti sui Iesu Christi te in filium adoptaverit, & per hoc gratiam maximaq; beneficia contulerit: Primò jus ad hereditatem cœlestis patræ. 2. Maximam fiduciam consequendæ venia, cum Deus pater tuus esse dignatus fuerit, & quidem talis, qui filijs poenitentibus diu irasci nequit. 3. Singulare certamen in laboribus, cum ad tales patrem recurrere possis. 4. Magnum solatium & incentivum resignationis in divinam voluntatem, quoties quid patiendum occurrit, cum illud ab amabilissimo Patre paterno affectu immittatur.

Cogitabis, quomodo Deus omnia & singula piissimi patris munia erga te exercuerit te creando, redimendo, cibum & vestes corpori, pretiosissimumq; suum Corpus & Sanguinem in anima tua sustentationem tribuendo, & denique dilectissimi filij instar te trahendo. Reflecte deinde te supra ipsum, qualiter omnibus bonorum filiorum condi-

C

tioni-

tionibus, uti sunt amor, timor, gratitudo, pietas, & reverentia erga patrem penitus destituaris, è contra vero perditis tuis factis Deum in honoraveris, primogenitaram cœlivenderis, ab illius domo profugeris, & pro terrenis voluptatibus jus æternæ hereditatis non minus turpiter quam miserabiliter comutaveris.

- Immoraberis aliquamdiu in consideratione filij prodigi, illum tanquam vivam vitæ tuæ imaginem intuendo. Quem sicut in vi-  
tijs secutus es, ita & in conversione, & vitæ emendatione imitari tibi firmiter propones, alegando inordinatos appetitus, quos instar immundorum animalium in anima tua pavisti, renunciando omnibus illicitis voluptatibus, magnaque consequendæ venie spe & fiducia ad æternum Patrem accedens dices: Pater peccavi in cœlum & coram te, non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum ex mercenarijs tuis.

## PRO FERIA IV.

## MEDITATIO QUARTA.

*De anima infirma & Christo ejus Medico.*

**C**onsiderabis aliquamdiu miserandum & sanguinis lachrymis deplorandum ani-  
mz

*pro singulis hebdomadæ diebus.*

35

*mæ tuæ statum, sensuum tuorum infirmitates, potentiarum cruciatus, superbiæ & torporis apostemata, plurimorum peccatorum vulnera, discurrendo seriem mandatorum Dei, inveniesq; quod à capite ad calcem non sit in te sanitas.*

Igitur salutis desiderio accensus ad cœlestem medicum properans dices ; Domine anima mea in malis tabescit , tana obsecro eam, quia non est alius qui miseræ salutem ferre valeat, nisi tu solus Deus & Salvator meus. His dictis expones ipsi infirmitates tuas, illarum causas & originem, deteges vulnera, tuas passiones, peccata, de Deo diffidentiam, & alios inanes timores, humiliter & confidenter malorum tuorum medelam expectans.

Recipies deinde magno affectu à cœlesti medico vitæ & passionis suæ tibi præscripta medicamenta, applicando vitæ illius humilitatem superbiæ tuæ tumoribus ; ipsius dolores & passionem illicitarum voluptatum apostematibus, illius felle & aceto tuis delicis & insatiabili tuæ concupiscentiæ extremâ ipsius paupertate medendo, tuam diffidentiam illius meritis, ac denique cuncta tua vul-

C 2

nera

nera pretiosissimo sanguinis ipsius balsamo curando; uterisq; dictis remedijis, quo usque integrum sanitatem, consequaris. Hac consecutâ, ne in malum relabarisi, rogabis cœlestem medicum, ut tibi aliqua præservativa prescribere dignetur: uti sunt sequentia.

Primum, Verba Christi ad paralyticum:  
fili cave, ne pecces, ne tibi deterius quid accidat. 2. Abhorrere summopere peccata.  
3. Parce & discretè mundi delicijs uti.  
4. Terræ fructibus non delectari. 5. Cœlesti pane & pretiosissimo sanguine IESU CHRISTI vitam sustentare. 6. frequenter confiteri, recitare B.V. Rosarium, facere indies orationem mentalem & examen conscientiarum. Ut hæc remedia sint fructuosa, dices: Pater noster & Ave Maria.

### PRO FERIA V. M E D I T A T I O Q U I N T A.

*De Ove perdita & Christo Pastore.*

CONSIDERABIS, quod Christus Pastor bonus, ut ovium amorem sibi conciliaret, nostræ mortalitatis pellibus se vestiverit, & animam suam pro ovibus posuerit, pascens illas

illas corpore & sanguine suo , ovium suatum vulnera alligans, die nocteque supra suum gregem vigilans, oves in peccatorum desertis errantes requirens , inventasque humeris suis ad cœlestes caulas reducens.

Meditaberis deinde , quomodo omnia prædicta circa te ovem perditam excercerit, amando, sustentando , custodiendo & requirendo te. Igitur sicut ovis fidelis pastorem & reliquum gregem individuè sectatur, nec non tota quanta in pastoris utilitatem cedit ; ita tu similiter Christi B. V. Sanctorumque vestigijs fideliter inhærere propones , animamque , corpus & totum quod es, pastori tuo consecrabis non desiderando, nisi ut sanctissima ipsius voluntas in omnibus impleatur. Deinde sicut ovis perdita fauces lupi timeret, crebris tenerimisque balatibus pastorem suum vocitat, si reperiatur, lubens ad gregem revertitur, verberaque pastoris patienter suscipit : ita & tu , si te ovem perditam agnoveris, perditionem & infortunium tuum deploabis, animæ tuæ periculum, in quo versaris, diligenter ponderabis, invocabisque pastorem animæ tuæ, ut te requirere , & ad gregem reducere dignetur , dicens : Erravi sicut

C ; ovis.

ovis, quæ perijt, errare potui sed redire nescio, quare me pastor bone, rogo educas me ex delictorum meorum desertis, & ad gratias amicitiaæque tuæ caulas reducas.

## P R O F E R I A VI.

## M E D I T A T I O S E X T A

*De anima captiva & Deo Redemptore.*

**H**Ac die considerabis magnum redemptionis nostræ beneficium, recogitando miserabilem mundi statum, in quo ante Christi adventum versabatur, cum totus esset captivus Diaboli, inimicus DEI, condemnatus ad inferos, absque ulla alia spe salutis, quam adventus Christi Domini & Redemptoris.

Videbis etiam, quali pretio redempti sumus, nimirum pretiosissimo sanguine JESU CHRISTI. Ex qua consideratione elicies primò tenerimum amorem erga Redemptorem tuum, quite plus, quam seipsum dilexit, patiendo pro te majores totius mundi dolores & injurias. Secundò magnam animæ tuæ æstimationem, quæ tanto pretio fuit redempta, quæ ideo tibi cunctis rebus charior esse debet. Tertiò magnam peccati detesta-

tio-

tionem, quot tanto remedio oportuit deleri.

Propones tibi dolorosam Christi patientis imaginem, considerando ipsius agoniam & sudorem, colaphum & injurias in domo Annæ receptas, flagella, spinas, crucem & mortem. Cumq; pro te patiatur, elicies magnum compassionis affectum, & ipsius humilitatem, charitatem, patientiam, aliasq; virtutes, quæ in illius passione maximè eluent, imitandi fervens propositum desideriumq;. Cogitabis, quod sis J E S U C H R I S T I mancipium, quod ipse suo sanguine comparavit, cui die ac nocte servire nullumq; alium Dominum recognoscere obligatus es.

Offeres illi peccatorum tuorum, quibus vincitus tenebaris compedes & catenas. Propones firmiter, ipsi totâ vitâ tuâ fideliter inservire, rogabisq;, ut signaculo passionis suæ inurat vinculisque charitatis taliter constringat, ut nunquam ab ipso recedere possis.

PRO DIE SABBATI  
MEDITATIO SEPTIMA.

*De anima Christi Sponsa.*

COnsiderabis quomodo CHRISTUS in ligno Crucis Sanctam Ecclesiam in

C. 4

spon.

sponsam acceperit, dando ipsi pretiosissimum suum sanguinem pro arrha, & passionem suam pro dote. Similiter, quod in Baptismo animam tuam sibi desponsaverit, & veri amatoris instar plus quam seipsum dilexerit: uniens se tibi in amore, vestiens te stolâ candida gratiae, coronans te misericordia & in delicijs habens tecum versari, te intueri, tibi que benefacere, cibans insuper te sanctissimo Corpore & potans pretiosissimo Sanguine suo, multisq; alijs beneficijs te afficiens, nec ullam tibi placendi occasionem intermittens.

Deinde cogitabis, quod in dulcissimo sponso tuo JESU CHRISTO, quidquid amari potest, perfectissimè invenitur. Est enim primò speciosus præ filijs hominum, & facies ejus valde decora. Secundò infinitè dives. Tertiò nobilissimus utpote DEI filius. Quartò amabilissimæ naturæ & conditionis, cum ejus natura sit bonitas. Quinto semper in eodem statu permanet. Sexto infinito te amore prosequitur, cum prote in ætatis suæ flore mori non recusaverit. Contra considerando te ipsam repères, quod omnia jura fidelis sponsæ violaveris, sponsum tuum nec amando nec honorando, illius obliviscen-

*pro singulis hebdomadae diebus.*

41

viscendo, eumque ob amorem creaturarum  
deserendo, diligendo vanitatem & menda-  
cium, imo turpitudinem ipsam adamando,  
occludendo ipsi portas cordis tui, cùm san-  
ctis inspirationibus ad illud pulsaret, & caput  
illius esset plenum cincinnis noctium; Igitur  
Dei misericordiam, in te tanto tempore fe-  
rendo, & patienter sustinendo admiraberis,  
& propones potius millies mori, quàm ultrà  
ab eo discedere.

## PIÆ PROTESTATIONES

QUOTIDIE RENOVANDÆ.

L

**E**go infelix & miser peccator, protestor  
in præsentia sanctissimæ Trinitatis Pa-  
tris, & Filij, & Spiritus sancti. In præsentia B.  
Virginis M A R I Æ, sanctorum Angelorum &  
omnium Sanctorum, quod velim ac summo-  
perè desiderem mori, in hac vera & Catholi-  
ca fide, quam S. Ecclesia Romana & Aposto-  
lica tenet & confitetur: In quâ omnes Sancti  
mortui sunt: nec ullum momentum ulterius  
vivere, aut vitam meam prolongari volo,  
quam divinae Majestati placuerit, cui omnem  
meam voluntatem subjicio.

C 5

2. Simi-

2. Similiter protestor, me sub protectione & auxilio Dei, B. Virginis & sanctorum Angelorum desiderare ac velle, ab hoc mundo separari & mori, absq; ulla hæsitatione in fide aut desperatione, propter multitudinem ac magnitudinem peccatorum meorum, quæ me in barathrum desperationis protrahere possint, certissime sciens, & firmissime credens, quod minima guttula pretio si sanguinis J E S U CHRISTI in cruce effusæ sufficiens sit pro redemptione totius generis humani.

3. Protestor, quod si pusillanimitate Spiritus, tremendum D E I Judicium, cui præstans sum, cogitans, aut tentatione Diabolica, aut perturbatione rationis (quod D E U S avertat) aliquam desperationem incurro, aut de fide dubitavero, id nunc mente sana mihiq; præsens revoco, irrito, annihilo, & pro non facto habeo sed in omnibus & per omnia me divinæ pietati & misericordiæ committo.

4. Protestor, quod, cum divina misericordia nulli peccatori contrito & confessio denegetur, me toto corde desiderare ac petere, ut me suæ participem misericordiæ facere dignetur, mihi remissionem omnium peccatorum meorum concedere per merita amarissimæ

riſſimæ paſſionis & mortis ſuæ, per merita  
pretiоſiſimi ſanguinis in ligno crucis effuſi;  
per merita ſanctissimæ Matris D E I & omni-  
um Sanctorum.

5. Protestor me velle mori & vivere mu-  
nitum meritis paſſionis, mortis & ſanguinis à  
Salvatore meo effuſi, item meritis ſatisfactio-  
nis & intercessionis glorioſiſimæ Virginis  
MARIÆ, & omnium Sanctorum, quæ omnia  
offerо in remiſſionem omnium peccatorum  
meorum, & in gratiarum actionem pro o-  
mnibus beneficijs à divina Majestate rece-  
ptis, & ex nunc pro hora mortis meæ, Beatissi-  
mam Virginem MARIAM, S. Angelum  
cuſtodem meum & omnes Sanctos oro, ut  
quo ad vixero, & præſertim in ultimo vitæ  
meæ puncto, impetrent mihi veram fidem,  
ſpem firmam, charitatem ferventem, con-  
ſtantem fortitudinem, profundam humilita-  
tem, patientiam invictam, omnesq; alias vir-  
tutes, quæ mihi pro reliquo vitæ meæ tem-  
po, ac mortis articulo neceſſariæ ſunt.

6. Præterea quia ſunt plurima peccata  
occulta, & obligationes meæ aliquæ non ita  
cognitæ, ideo divinam Majestatem tuam pre-  
cor, ut ſi in me remaneat aliquod peccatum,  
quod

quod indebite confessus fuerim, aut obligatiōni alicui non satis fecerim : eos defectus amarissima Passione tua suppleas & protestor me illa ministro tuo, cum debita coātritione confiteri & omni obligationi fatisfacere, quantum mihi erit possibile, si in memoriam mihi revocentur : insuper rogo te ô JESU mi dulcissime, ne me finas absque pœnitentia mori.

7. Protestor quod quando in agone constitutus amplius lingua loqui non valuero, me animo desiderare D E O meo uniri, & ex nunc pro tunc offero tibi agoniam, labores, sudores & passiones meas uniendas agoniae, sudori sanguineo, doloribus, passionibus dulcissimi JESU C H R I S T I Filij tui Salvatoris mei pro remissione omnium peccatorum meorum ; omnesque tibi adstantes Angelorum Choros, & sanctorum cuneos toto corde deprecor, ut me in hoc mortis articulo sublevent suis orationibus cum SS. Virgine M A R I A Angelorum Regina.

8. Deniq; coīmendo animam meam C r e a tori meo, qui eam ex nihilo creavit, Salvatori qui pro ejus salute vulneratus in cruce obiit : Spiritui S, qui se ei tam copiose communica-

Douay

vit,

vit, Virgini gloriōsæ, Angelo meo custodi :  
mēq; ipsum inter brachia Salvatoris repono,  
dicens : in manus tuas commendō Spiritum  
meum, D e u s propitius esto mihi peccatori.

9. Protestor super petitione mea, qua hu-  
militer requiro, ut divina pietas dignetur me  
recipere in illorum numerum, quos ab æterno  
in extremo judicij die salvandos ordinavit.

10. O M A R I A sanctissima D e i Mater,  
Domina mea & advocata, tibi pro testamen-  
to animæ meæ, hanc ultimam voluntatem &  
affectionem commendō, & in tuas manus, ex  
nunc pro tunc animam meam trado, tibique  
omnem ejus causam coram judice meo & fi-  
lio tuo commendō atque humiliter rogo im-  
petres mihi pro illa hora dolorem, & doloro-  
sum suspirium unum extantis illis, quæ emisit  
Salvator mundi, cum tres horas vivus in cru-  
ce penderet, ut dolores, singultus, gemitus, &  
gravissima suspiria quæ me in hora mortis  
prement, mitigare ac lenire possint. Et ut, ô  
Mater totius gratiæ digneris mihi largiri  
unum ex dolorosis suspirijs, & lachrymosis  
aspectibus, & gemitibus cordis tui, quos ex-  
perta es stans sub cruce aspiciens filium tu-  
um Redemptorem generis humani, qui me  
reci-

recipere dignetur inter illos, qui tuis sanctissimis meritis & precibus in extremo judicii die remissionem peccatorum suorum, & salutem animæ suæ consequentur.

ii. Per amabilitatem quoq; filij tui & viscera misericordiæ tuæ, te rogo, ut succurras mihi, quando cor meum rumpetur, & misera anima mea à corpore separabitur, ut tunc benignum & propitium judicem inveniam, pro sua divina charitate, qua cor ejus plenum in cruce pro salute mundi, disruptum, & anima ejus divinissima à sanctissimo suo corpore separata fuit.

Tibi quoque ô sanctissime Angele custos mei singulariter comando ultimam horam vitæ meæ, ut eam protegas atque defendas ab inimicis, illud etiam te obsecrans ut ibi & quoties necessarium fuerit velis mihi esse fidelis, testis, & protector dictarum meorum protestationum.

Ac denique vobis specialibus S. Patronis meis ex nunc pro tunc commendo animam & corpus meum, ut in ulla ultima lucta assistere mihi, & malignos Spiritus cum suis machinationibus, à me longe propulsare, & ab omni malo protectum ante faciem Dei mei vestris

*quoridic renovanda.*

47

**v**estrīs meritis reconciliatum me sistere dignemini, propter amabilitatem ejus, qui vos ab omni malo ereptos in æternâ beatitudine glorificavit Deus meus vivens & regnans in secula seculorum.  
Amen.

*Prædicta descripta sunt.*

Ex

Paradiso Eucharistico in Paradiso Mariano  
Sac. Ordinis Cisterciensis plantato  
opera.

F. P. AUGUSTINI DOBROWOLSKI  
Prioris ejusdem Paradisi.

L U B L I N I

Prostant in Officina Georgij Kosteri, S.R.M.  
Bibliopolæ Anno 1652.

*Cum Privilegio S. R. M.*

S. LI.

S. LIBORIUS  
EPISCOPUS  
ET  
CONFESSOR.

EX Celticæ Galliæ prima Nobilitate ori-  
undus, ab ætate primæva in Clerum  
assumptus, honorum operum Exemplar se-  
præbens, Cenomanensis Ecclesiæ Episcopus  
electus, vitam doctrinâ magis ornavit, ac do-  
ctrinam vitâ informavit: septendecim con-  
struxit Ecclesias, Oratoria nova excitavit  
perplura, nec ulla fuit Ecclesia in Diœcesi  
sua, in qua divina Officia quotidiè celebrari  
non providerit, & Luminaria in ijs semper  
ardere constituerit. Ordinationes fecit no-  
naginta sex, Presbyteros consecravit ducen-  
tos septendecim, Diaconos centum septua-  
ginta sex, Subdiaconos nonaginta tres. Anno  
quinquagesimo sui Episcopatus in extremis  
positus divino monitu à S. Martino Turonen-  
si Episcopo visitatus, & beato fine consumma-  
tus, divinæ gloriæ admirandis signis, cuius  
gratiæ Charismatibus vivens præfulserat, in  
Tumu-

Tumulo magnificatus est, quæ in Translatio-  
ne ejus Anno 836. novo accensa splendore  
adhuc impensis refluerunt, quando Sacrum  
ejus Corpus, stabilita inter Ecclesias Ceno-  
manensem & Paderbornensem perpetua  
confraternitate, cum Reliquijs sanctorum  
Pavatij Archi Diaconi, atque Gundanisoli,  
ex eadem Ecclesia Cenomanica, sub Ludovi-  
co Pio Imperatore Paderbornam, devotionis  
ac patrocinij causâ translatum est. Et dum  
Sacrum hoc pignus, sub Imperatore FER-  
DINANDO II. in Germania moto Bello, ab  
Ecclesia Paderbornensi violenter ablatum  
esset, & ex Tumba S. Præfulis, quam Maj-  
orum pietas ex laminis aureis confecerat, mo-  
neta cusa cum castris hostilibus variè hinc  
inde moveretur, tam ante, quam in ipsa resti-  
tutione sacrarum Reliquiarum, hujus Sancti  
merita apud Deum pretiosa, ac sanctitatis &  
gloriæ certissima argumenta, diversa mira-  
cula illustrarunt, & varijs locis tam Germa-  
niæ quam Umbriæ Italiae illustrant. Faxit di-  
vina Bonitas, ut moderni Belli luctuosissimi  
eventus & Conatus, qui sancta Offa & Cine-  
res ab Ecclesia Paderbornensi pluribus An-  
nis proscripterunt, in desideratae Pacis gaudi-

D

um

20 Compendium Vitæ S. Liborij.

um conversi, ipsis Reliquijs Sacris illæsam  
quietem, & Paderbornensibus interturbata  
tam Venerationem erga S. Patronum resti  
tuant. Ejus Festum celebratur 23. Julij.

ORATIO ANTIQVISSIMA.

D E

S. LIBORIO

EPISCOPO ET CONFESSORE

Contra morbum Calculi.

Christi Præful egregius  
Pronobis hic LIBORIUS

Oret Deum altissimum,

Ne pro culpa peccaminum

Morbo vexemur calculi,

Succurrant nobis Angeli,

Et post vitæ certamina

Ducant ad vera gaudia.

¶. Ora pro nobis Beate LIBORI.

¶. Ut àcalculi doloribus mereamur erui.

O R E M U S.

D eus qui Beatum LIBORIUM Pontificem  
alijs innumeris clarum miraculis spe  
ciali in medendis urinarum & calculi dolo  
ribus

*Patrocinium divæ Apolloniae pro dent.* 51

ribus privilegio decorasti, tribue quæsumus,  
ut ejus meritis & intercessione ita ab ijs &  
alijs malis eruamur, ut gaudijs perfrui mera-  
mur æternis. Per Christum Dominum no-  
strum, Amen.

### Pharmacum spirituale,

### PRO DENTIUM DOLORE.

**O** Virgo Dei egregia,

Pro nobis Apollonia,

Funde preces ad Dominum.

Ut tollat omne noxium,

Ne pro reatu criminum

Morbo vexemur dentium,

Sed sanitatem capitum

Gratulemur & corporis.

**V.** Specie tua & pulchritudine tua.

**R.** Intende, prospere procede, & regna.

O R E M U S.

**D**EUS, pro cuius amore Beata Apol-  
lonia Virgo & Martyr amaram & hor-  
ribilem dentium excussionem sustinuit; præ-  
sta quæsumus ut ejus precibus & meritis à  
tetro dentium dolore immunes custodiamur,  
& post hujus vitæ cursum ad beatæ patriæ  
gaudia perducamur. Per Christum &c.

D 2

O R A-

## ORATIO S. AUGUSTINI,

*Sumpta ex magna tabula Lateranensis Ecclesie,  
quam quoties quis contritus devotè dixerit, octoginta  
millia annorum Indulgentias consequetur; & qui  
quadraginta diebus eam dixerit, plenariam peccato-  
rum remissionem obtinebit, quam BONIFACIUS  
VIII concessit, & BENEDICTUS XI  
confirmavit.*

**D**EUS, qui pro redēptione Mundū  
voluisti nasci, circumcidi, à Judæis re-  
probari, à Iuda proditore osculo tradi, vincu-  
lis alligati, sicut agnus innocens ad victimam  
ducī, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pi-  
lati, & Herodis indecenter offerri, à falsis te-  
stibus accusari, flagellis & opprobrijs vexari,  
sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi-  
arundine percuti, facie velari, vestibus exui,  
Cruci clavis affigi, in Cruce levari, inter la-  
trones deputari, felle & aceto potari, & lan-  
ceā vulnerari. Tu, Domine, per has sanctissi-  
mas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, &  
per sanctam Crucem, & mortem tuam, libera  
me à pœnis inferni, & perducere digneris,  
quò perduxisti latronem tecum crucifixum.  
Qui cum Patre, & Spiritu sancto vivis & re-  
gnas Deus in saecula saeculorum, Amen.

SALVE

**S**ALVE tremendum cunctis Potestatis  
bus Caput Domini Iesu Christi Salvato-  
ris nostri, pro nobis spinis coronatum, &  
arundine percussum.

Salve speciosissima Salvatoris nostri Iesu  
Chr. Facies, pro nobis sputis, & alapis cæsa.  
Salvete benignissimi Domini Iesu Christi  
Salvatoris nostri Oculi, pro nobis lacry-  
mis perfusi.

Salve mellifluum Os, Gutturq; suavissimum  
Domini nostri Iesu Christi, pro nobis  
felle & acero potatum.

Salvete Aures nobilissimæ Domini Iesu  
Christi Salvatoris nostri, pro nobis contu-  
melijs & opprobrijs affectæ.

Salve Collum humile Iesu Christi, pro no-  
bis colaphizatum; Dorsumque sanctissi-  
mum, pro nobis flagellatum.

Salvete venerabiles Domini nostri Iesu Chri-  
sti Manus & Brachia, pro nobis in Cruce  
extensa.

Salve Pectus mitissimum Domini Iesu Chri-  
sti Salvatoris nostri, pro nobis in passione  
conturbatum.

Salve Latus gloriosum Domini nostri Iesu  
Christi, pro nobis lanceâ militis perfo-  
ratum.

**Salvete Domini J e s u Christi Salvatoris no  
stri sacra misericordia Genua, pro nobis in  
orationibus flexa.**

**Salvete Domini Jesu Christi Salvatoris nostri  
Pedes adorandi, pro nobis clavis affixi.  
Salve totum corpus J e s u Christi, pro nobis  
in cruce suspensum, vulneratum, mortuum  
& sepultum.**

**Salve Sanguis pretiosissime, de corpore Do  
mini J.C. Salvatoris nostri pro nobis effusus.**

**Salve sanctissima Domini nostri J e s u Chri  
stii anima, in Cruce pro nobis in manus Pa  
tris commendata.**

In eadem commendatione tibi commendo  
hodie, & quotidie animam meam, vitam me  
am, cor, & corpus meum, omnes sensus &  
actus meos: omnes amicos, benefactores, fr  
ilos, & consanguineos meos: animas paren  
tum, fratrum, sororum, & omnium amico  
rum, ac inimicorum meorum; ut nos prote  
gere, liberare, & defendere digneris ab omni  
bus insidijs inimicorum nostrorum, visibili  
um, & invisibilium, nunc & in perpetuum  
Amen. *Pater noster. Ave Maria. Ter.*

Juxta Copiam Romæ in Typograph. Rev. Cam. Apol.  
Anno 1650. impress. Colon. apud  
Wilh. Friessem.

V.I.T.

## VITA

S. GEROLDI MART.

Et collecta de eo pro Febricitantibus.

**G**EROLDUS Coloniæ Agrippinæ, anno  
salutis 1201 natus, à puerो pietati & ab-  
stinentiæ deditus, factus grandior multas ten-  
tationes diaboli superavit. Ubi ad ætatem vi-  
rilem pervenisset, cilicio induitus humili cuba-  
bat, seque in Dominicæ Passionis meditatio-  
ne, donec sanguis in terram deflueret, flagel-  
labat; jejunis & orationibus intentus. Is hu-  
mili amictu coniectus, absque ullo fæcularis  
auxilij adminiculo, multas & quidem longi-  
nas suscepit peregrinationes. Cùm autem  
post S. Jacobi in Hispaniam, & Romæ pere-  
grinationem, in Palæstinam transmittere pa-  
ratet; apud Cremonam, in pago Mamica, à  
Pado fluvio absorpto, dum ad duos latrones,  
rixam inter se simulantes, pacificandos ac-  
currit, ab illis, ratis cum pecunias habere,

D 4 multis

multis in capite vulneribus infictis impiè occiditur. Cujus corpus insigni miraculo deprehensum traditur, Campanis civitatis sponte sonantibus, odore suavissimo ex eo exhalante, luminibusq; divinitus in eo loco splendentibus. Quarè Sanctus Vir jacens cum libello, in quo nomen suum & patria, cum alijs rebus, scriptum erat, inventus est: cuius Corpus ab Episcopo & Clero, cum totâ civitate, quæ ad tantam rei novitatem confluxerat, solenni pompâ elatum, in urbemq; delatum, in Aede S. Vitalis conditum est; cùm portatores ad aliam Ecclesiam divertere conantes, immobiles effecti fuissent. Illud nunc in propriâ Ecclesiâ piè asservatur.

Ista totidem verbis recitat Philippus Ferrarius,  
Ord. Servorum B. M Generalis in Catalogo SS. Italid.  
Mediolani anno 1613 impresso, ex Vita ipsius, Cremo-  
na anno 1581 typis excusâ. Idem deinde hac addit:

Cùm præter enarrata, nova post mortem,  
ad ejus tumulum, super cæcis, claudis, & alijs  
morbo aliquo laborantibus, miracula fie-  
rent, sacrâ suo nomini Aede dicatrâ, celebrari  
cœpit illius Natalis hac die VII Octobris.

Pef

Per merita Passionis Domini nostri Jesu Christi, & beatæ Mariæ semper Virginis, & beati GEROLDI Martyris, & omnium Sanctorum, liberet nos Deus ab omni malo febris. Amen. Pater Noster. Ave Maria. Credo.

Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut intercedente beato GEROLDO Martyre tuo, & à cunctis adversitatibus liberemur in corpore, & à pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

D S S E N.

SENENTIA  
SINGULIS MENSIBUS ANNI  
A QUOVIS CHRISTIANO  
CONSIDERANDÆ.

JANUARIUS

*Tria futura cogita.*

Mortem qua nihil horribilis,  
Judicium extremum quo nihil terribilis,  
Pcenam inferni qua nihil intolerabilis.

FEBRUARIUS.

*Tria praesentia semper cogita.*

Vitæ præsentis brevitatem,  
Salvandi difficultatem,  
Salvandorum paucitatem.

MARTIUS.

*Tria præterita cogita.*

Malum commissum ,  
Bonum omissum ,  
Tempus amissum.

APR

Sententiae pro singulis mensibus anni; 59

A P R I L I S.

*Remedium securitatis.*

Memento peccati ut doleas,  
Memento mortis ut desinas,  
Memento justitiae ut timeas,  
Memento misericordiae ne desperes.

M A J U S.

*Tria Deo abominosa.*

Injustitia fori,  
Macula thori,  
Superbia chori.

J U N I U S.

*Tria formidabilia.*

Diabolus seducens,  
Mulier blandiens,  
Leo rugiens.

J U L I U S.

*Tria inestimabilia.*

Sanitatis perseverantia,  
Amici constantia,  
Conscientiae fiducia.

A U G U S T U S.

*Tria signa superbiae.*

Habitus varietas,

In-

60     *Sententia pro singulis mensibus anni.*  
Incessus deformitas,  
Affectuum mobilitas.

S E P T E M B E R.  
*Tria stultitiae signa.*

Ambitiosa mens,  
Oculus facile flens,  
Os multum ridens,

O C T O B E R.  
*Tria sunt judicia.*

Judicium D E I,  
Judicium conscientiæ,  
Judicium mundi.

N O V E M B E R.  
*Sunt avertenda ne pereat.*

Castitas in delitijs,  
Humilitas in divitijs,  
Pietas in negotijs.

D E C E M B E R.  
*Viri prudentis signa.*

Omnibus suavis,  
Nemini gravis,  
Paucis familiaris.

VIA

¶ ( 61 ) ¶

# VIA VITÆ ÆTERNÆ,

E X

## LEONARDI LESSII.

Societatis J E S U,

Libro 4. De Summo bono.

### C A P U T I.

*De Oratione, & optimo orandi modo.*

**O**Ratio generatim complectitur laudem, gratiarum actionem, & petitionem. Est enim insigne Religionis opus, quo Deum honoramus vel laudando, vel gratias pro beneficijs acceptis agendo, vel nova ab ipso beneficia, tanquam omnium bonorum fonte, postulando. *Obsecratio*, seu obtestatio per sacra, nempe per Dei misericordiam, per Christum, per Christi merita, &c. ad petitionem pertinet, neq; distinctam orationis speciem constituit, sed duntaxat causas concedendi allegat.

Quam autem hoc opus, si debito modo fiat, sit salutare, constat ex tribus caussis:  
Primo

Primo. quia est summi meriti, cum ad illud  
præstantissimarum virtutum functiones con-  
currant: ut fidei, spei, charitatis, religionis,  
humilitatis, gratitudinis. Ad laudem enim  
concurrit fides, charitas, & gratitudo: ad  
petitionem, fides, spes, religio & humilitas.  
Itaque excepta Sacramentorum perceptio-  
ne, nihil salubrius aut præstantius in hac vita,  
quam incumbere sedulò orationi. Secundo,  
quia est veluti generale quoddam instrumen-  
tum, ad omnia saluti opportuna à Deo facile  
obtinenda. Est enim, ut S. Joannes Chryso-  
stomus ait, instar clavis cuiusdam, per quam  
omnes thesauros possimus aperire, & ex illis  
accipere quidquid nobis commodum vide-  
tur ad æternam salutem consequendam. O-  
mnia enim ista, oratione certissimè possumus  
impetrare. Quod ut diligenter considere-  
mus, & verissimum esse sciamus, Scriptura  
plurimis locis inculcat. Matth. 7. & Lucæ 11.  
Dominus ait: *Et ego dico vobis: querite, &*  
*invenietis: pulsate & aperietur vobis. Omnis*  
*enim qui petit, accipit: & qui querit, invenit:*  
*& pulsanti aperietur. Ubi sexies diversis ver-*  
*bis idem repetit, ut nos certissimos reddat:*  
*& confirmat duabus exemplis pulcherrimis:*  
*nimi-*

nimirum amici nocte intempestâ petentis panem ab amico; & filij petentis, vel piscem, vel ovum à patente. Deinde sic concludit: *Si ergo vos, cùm fitis mali, nos tis bona data (quæ à vobis non habetis, sed aliunde accepistis) dare filijs vestris: quantò magis Pater uester de cælo dabit Spiritum bonum potentibus se?* Idem Joan. 14. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.* Et statim addit, idem ferè repetens: *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Marci II. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia, accipietis, & evenient vobis.*

Hisce toties repetitis sententijs vult nos Dominus reddere certos, nos omnia ad salutem accommodata accepturos, si prout decet ipsum per orationem adierimus.

Tertiò, quia est medium ordinariè ad salutem necessarium. Nam pleraq; auxilia ad salutem opportuna, per orationem nobis sunt impetranda: nempe quæ ad superandas tentationes, & ad perseverandum in finem ordinariè sunt necessaria. Etsi enim Deus ex sua ineffabili benignitate etiam non orantibus multa sàpe auxilia præstet: tamen auxilia majora, & singularem illam protectionem ac dire-

directionem, quâ quis perseverat in finem, & consequitur salutem, nec promisit, nec ordinariè confert, nisi orantibus. Unde Scriptura sæpè monet, ut semper oremus, nimirū quantum humana conditio patitur. Eccles. 8. *Non impediatis orare semper.* Quasi dicat: Nullam rem, nullum officium admittas, quod te impediat, quo minus possis semper orare; nimirum quantum fert humana fragilitas. Marci 13. *Vigilate, & orate: nescitis enim quando tempestus sit;* quo sistendi estis supremo Judici. Luc. 18. Dominus parabolâ ostendit, quod oporteat semper orare, & non desicere. Et cap. 21. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia illa (pericula salutis) quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.* 2. ad Thess. *Sine intermissione orate.* Ratio est, quia Dominus vult se & sua beneficia agnosciri; & nos confiteri, sine ejus gratiâ & auxilio nos non posse pericula salutis evadere, tentationes superare, aut salutem consequi. Ita vult nos assiduè ad se recurrere per orationem, & hoc modo omnia salutifera impetrare.

Itaque qui orationi, prout oportet, est deditus, certissimus sit, nihil eorum quæ ad salutem sunt opportuna, ex parte Dei ipsi defu-

*Caput I. De Oratione.*

65

futurum: ac proinde certus sit se fore salvum,  
si ex parte suâ divinæ gratiæ per socordiam &  
crassam negligentiam non defuerit.

Porrò, ut debito & convenienti modo  
oremus, quædam sunt observanda, tum ante  
orationem, tum in ipsa oratione. Ante enim  
orationem opus est quadam præparatione,  
de qua sapiens Ecclesiast. 8. *Ante Orationem  
præpara animam tuam, & noli esse quasi homo  
qui tentat Deum.* Tentare enim Deum cen-  
setur, qui modo ad impetrandum inepto, &  
qui potius iram, quam beneficium meretur,  
impetrare contendit.

Hæc præparatio tria requirit. Primo, ut Deum, cum quo agendum est, ante oculos  
nobis ponamus, & nos in conspectu ejus si-  
stamus. Hoc autem multis modis fieri potest.  
Primo, si concipiamus illum tanquam spiri-  
tum per omnia diffusum, omnia impletentem  
& continentem, nostraque omnia clarissimè  
intuentem & sentientem. Ipse enim ubique  
præsens est, & oculi ejus decies millies sole  
lucidiores, intuentes omnes vias hominum, &  
cordium arcana. Quo sic ob oculos proposito  
& considerato, tanquam cum præsente, &  
nos intuente ac audiente, tota oratione  
agendum.

E

Secun-

Secundò, Si concipiatur tanquam lux immensa intimè nobis prælens, & in corde nostro, cum omnibus thesauris & donis suis, cum tota potentia, sapientia, sanctitate & bonitate sua (quibus in momento nos sanctos & beatos efficere potest) residens. Et hoc modo dirigimus totam orationem ad eum, tanquam intra nos constitutum, & in fundo animæ nostræ absconditum.

Tertiò, Concipi potest sub augusta forma humana, sedens in solio cœlesti, circumfusus luce infinita, & infinitis Angelorum myriadybus: quomodo apparuit Danieli, & Joanni in Apocalypsi, & Isaiae, & alijs.

Quartò, Proponi potest ob oculos Christus Dominus in natura assumpta, vel ut pendens in cruce, & in monte Calvariæ; vel ut sedens ad dexteram Patris, circumfulsus Angelorum, & beatorum spirituum immenso exercitu; vel ut sedens in nubibus Judex vivorum & mortuorum. His vel similibus modis Deum concipere debemus, quando serio orare volumus: & eo sic proposito, nos animo in cœlo, vel in terra humillimè prosternere, ut tota nostra oratio ad eum tanquam præsentem, & nos videntem & audientem diriga-

dirigatur. Qui enim cum aliquo vult colloqui, debet eum habere præsentem, & tanquam cum præsente agere; alioquin sermonem ad illum non dirigit, sed in aërem loquitur. Unde hæc consideratio præsentia divinæ, in oratione est maximè necessaria, & diligentissimè procuranda. Qui in ea probè est exercitatus, non solùm magno fructu, sed etiam magna felicitate & suavitate orare potest.

Secundo loco præparatio requirit, ut cogitemus quidnam cum Deo tractaturi simus. Sicut qui cum magno aliquo Principe acturus est, prius cogitat quidnam debeat tractare; ita multò magis qui acturus cum Deo, antè expendere debet, quid agere velit: nimis an illum laudare, an gratias agere, an beneficia aliqua ab eo poscere; & quænam ea sint.

Tertio loco petendum à Domino auxilium, quo dignè tantum munus præstare possimus: nimis an elevatione & attentione, an reverentiâ, & eo affectu, quo par est creaturam cum suo Creatore colloqui. Unde commodissimum tempus, quo maximè est mens serena, & apta contemplationi, deligidum, omnesque aliæ cogitationes &

E 2 curæ

curæ penitus excludendæ, perinde ac si cum rebus humanis tibi nihil sit commercij, & solus cum Deo & Angelis ejus sis in mundo.

Hac præparatione præmissa accedendum ad ipsam orationem, quæ ut optimo modo fiat, tria postulat. Primo, magnam attentionem ad Deum cui loquimur, quem nobis in præparatione ob oculos posuimus, quia tota oratio ad ipsum tanquam ad præsentem dirigi debet. Ex hac attentione fit, ut cum magna reverentia preces nostras faciamus.

Secundo requirit magnam attentionem circa sensum verborum, quæ pronunciamus, præsertim cum Psalmos, vel alias orationes jam compositas recitamus. Itaque danda est opera, ut antea probè illa intelligamus, vel piam aliquam illorum intelligentiam percipiam habeamus. Etsi enim qui recitant Preces Canonicas, præcepto Ecclesiæ satisfaciant, & etiam opus pium ac meritorium præstent, si saltem ad Deum, cui loquuntur, attenti sint, & cum reverentia sacra illa verba proferant, quamvis ea non intelligent: longè tamen præstantior foret oratio, si sensum illorum perciperent, & eo spiritu, quo primò concepta & scripta, Deoq; à Prophetâ sunt decantata, proferrent. Ter-

Tertiò, ut conemur in nobis excitare, & induere illos affectus, quos oratio in singulis suis partibus exigit, quosque ipsi Auctores sacri, & Viri sancti, ac illuminati in decantando sentire consueverunt. Quod ut asequamur, expedit non valde multa orando legere, aut recitare, nec celeriter: fieri enim non potest, ut oratio multum sapiat animæ palato, dum cursim transitur. Opus est aliquâ morâ in considerando, ut affectus excitetur, præsertim varius pro varietate materiæ, quæ occurrit. Difficile est hoc exactè præstare in longa oratione, quia opus est multo tempore, & mens tam longo conatu non parum fatigatur. Itaq; in breviore oratione, verbi gratiâ, in Oratione Dominica, Salutatione Angelica, & in Symbolo, in uno vel altero Psalmo, in paucis Hymnis, & similibus, id omni ope conandum. Et quamvis in principio sit aliqua difficultas, usus tamen sensim rem reddit facilem & delectabilem. Porrò singuli versiculi, immo singula pñè verba sunt attentissimè consideranda, & eorum vis expendenda, allatis varijs conceptibus, caussis, effectis, modis, &c. Ideoque expedit singulos versiculos bis ter ve repetere, nec transire ulterius, donec eos veluti

veluti degustaveris. Quæ ut melius intelligantur, dabo exemplum in Oratione Dominica.

*Pater noster, qui es in cælis. Verè Pater noster: tu enim nos ex nihilo ad imaginem & similitudinem tuam benignissimè condidisti, tu lapsos in peccatum ab æterna morte redemisti, tu nos in filios adoptasti, tu Spiritu tuo sanctificasti, tu ad cælestem hæreditatem vocasti, & providentiâ paternâ nos ad illam dirigis. Tu Pater noster, Creator noster, Redemptor noster, Sanctificator noster, Director noster, & Largitor bonorum omnium. Hæc omnia hac Patris appellatione comprehenduntur. Convenit hoc nomen Deo respectu nostri, prout complectitur totam sanctissimam Trinitatem: omnia enim opera Paternitatis in nos, sunt communia toti Trinitati.*

*Qui es in cælis. Ibi te aperis, ibi te manifestas, ibi cognosceris & amaris, benediceris, & laudaris in sæcula sæculorum. In cælis, in beatissimorum Spirituum mentibus, quæ omnibus cœlis corporeis capaciores. Ibi fulget majestas tua, ibi regnas & triumphas in æternum.*

*Sancti-*

*Caput I. De Oratione.*

71

*Sanctificetur nomen tuum.* Sanctificetur nomen tuum, (quidquid tu es & diceris) in hac extrema regni tui parte sanctificetur in hominibus. Omnes mortales te cognoscant, te timeant, te ament, te laudent & benedicant in sæcula. In hoc nominis tui sanctifica-  
tio est sita; haec semper vigeat, efflorescat, & crescat usque in finem mundi.

*Adveniat regnum tuum.* Exscindatur re-  
gnum impietatis, regnum peccati & diaboli:  
Regnum tuum adveniat, & omnibus domi-  
netur. Primum quidem regnum Fidei, Spei,  
& Charitatis, per quæ in cordib⁹ omnium  
nationum regnes: deinde æternum illud re-  
gnum beatæ visionis, in quo tu eris omnia in  
omnibus. Hoc regnum non diu differatur,  
sed completo mox Sanctorum numero, se  
aperiat.

*Fiat voluntas tua, sicut in celo, & in terra.*  
*Voluntas tua, consilia tua, præcepta tua, bene-*  
placitum tuum. Haec triplex voluntas tua si-  
impleatur in terra, sicut impletur in cœlo.  
Omnes obedient præceptis tuis, omnes pa-  
reant sanctissimis inspirationibus tuis, omnes  
probent beneplacitum tuum.

*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

E 4

Panem

Panem corporalem & spiritalem, alimenta corporum & animorum. Sicut corpus cibis visibilibus, ita anima verbo tuo, doctrinâ & illustratione tua, & in primis pane illo divino, qui de cœlo descendit, qui spiritus est & vita, qui mundo vitam tribuit; corpore inquam & sanguine filij tui. Omnem hunc panem da nobis quotidie.

*Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ecce, Pater, ignosco omnibus, qui me injuria affecerunt, vel quovis modo in me peccarunt: nihil illis mali exopto, sed benedictionem tuam & Spiritum sanctum tuum illis imprecor. Ignosce itaque & mihi quidquid in te peccavi: relaxa culpas & supplicia, debita culparum & pœnarum, quarum tibi reus sum & debitor. Hæc omnia debita remitte mihi, per infinitam bonitatem & misericordiam tuam, per Sanguinem & merita Christi filij tui Domini nostri.*

*Et ne nos inducas in temptationem. Semper nobis ad sis auxilio & protectione tuâ, ut nulla nos tentatio vincat, nullæ mundi vel carnis illecebraz in peccatum trahant.*

*Sed libera nos à malo. A malo culpæ & pœnæ, &*

ix, & ab omnibus diaboli insidijs, & tandem ab omnibus hujus vitæ malis, & transfer in regnum tuum, ubi tesummo bono æternum fruamur. *Amen.* Ita fiat Domine Pater, Rex cœli & terræ; ita fiat, exaudi hæc mea vota, & imple illa secundum bonitatem & misericordiam tuam.

En specimen accuratioris modi orandi, qui mirificè & mente in illustrat, & affectum excitat, & dulcedinem in singulis partibus latentem gustare facit: multoq; fortasse melius est, hoc modò semel Orationem Dominicam recitare, quam centies cursim cum parva attentione. Quod si alicui sit injunctum, ut ter vel quinquies recitet Orationem Dominicam, facile id præstare potest toties repetendo singulos versiculos, ijsq; inhærendo meditatione, juxta modum nunc explicatum. Hoc ferè modo B. Franciscus Orationem Dominicam recitare solebat, & B. Pater noster Ignatius eum modum valde commendat in libello Exercitorum. Nec video, quæ ratio orandi possit esse præstantior: facile autem quibusvis alijs precationum & laudum formulis, & Psalmis, & Hymnis, & versiculis accommodari potest.

C A P U T II.

*Quā ratione excitanda sit Fides.*

**O**Mnis commotio voluntatis sequitur ex consideratione intellectus. Unde quō attentiue, ac perspicacius intellectus considerat virtutum motiva, seu rationes, quibus movetur ad operandum, eò major excitatur affectus in voluntate. Ostendam itaque, quānam motiva in singulis virtutibus sint consideranda. Ac primum, quā ratione excitanda sit fides.

I. Proponendum id, circa quod fidem excitare volumus. Ut si velim excitare fidem circa mysterium Eucharistiae, nimirum ibi verè, propriè, realiter & substantialiter præsens esse Corpus & Sanguinem Domini cum anima & divinitate, atq; adeò totū Christum ibi, sub speciebus panis & vini, delitescere.

II. Consideranda motiva & rationes, quæ persuadent id esse credendum.

Primo, quia ipse Dominus accepto pane, cùm gratias egisset, & benedixisset panem, expressè affirmavit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Et accepto calice similiter dixit:

dixit: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur*: adeò ut clarioribus verbis id exprimi non potuerit. Neq; ullum est aliud fidei mysterium, quod clarius in scripturis habeatur expressum. Unde si decepti sumus, ipse decepit nos: quod blasphemum est vel cogitare.

Secundò, quia id ipsum tenet & docet, & semper docuit Ecclesia, quæ est *columna & firmamentum veritatis*: quæ est *sponsa Christi*, ejus *Corpus mysticum, & Regnum*, quæ regitur *Spiritu Christi*, quæ semper stabit, nec ullis inferorum & hæreticorum machinis evertetur: quæ si vel in uno articulo errat, corruit penitus, nec quidquam amplius ei credendum.

Tertiò, quia id omnibus sæculis ab initio nascientis Ecclesiam Christi, ab omnibus Catholicis creditum, & à Patribus traditum, & in Ecclesia pro tali usurpatum & sumptum, ut facile ex testimonij Patrum & Doctorum, qui singulis sæculis vixerunt & scripserunt, ostendi potest.

Quartò, quia hanc doctrinam tenuerunt omnes, qui sanctitate & miraculis in Ecclesia illustres extiterunt: ut patet singula sæcula percurrenti. Imò quòd quisque sanctior, & miraculis clarior, eò majore devotione hoc Sacra-

Sacramentum est prosecutus: ut S. Dominicus, Franciscus, Bernardus, Cælestinus, Norbertus, Xaxerius, Ignatius, Vincentius Ferrerius, Franciscus à Paula, & alij innumeri. Si isti errarunt, consequens est, ut sanctitate & miraculis clarissimi fuerint idololatræ. Si idololatræ, quomodo sancti? quomodo Deus illos miraculis claros, & omnibus imitandos proposuit?

Quinto, quod hæc ipsa doctrina innumeris miraculis sit confirmata, quæ occasione hujus Sacramenti contigerunt. Fieri autem nullâ ratione potest, ut in confirmationem doctrinæ falsæ & perniciosa, vera miracula fiant; quia Deus non potest falsitatem & impietatem confirmare.

Sexto, quia hæc doctrina ita per decem prima saecula, nempe usq; ad annum 1050. fuerit ab omnibus ita recepta, ut nullus etiam hereticus publicè illam oppugnare ausus fuerit. Et cum Berengarius, circa id tempus contrarium tradere cœpisset, mox ejus sententia ipso vivo in quinque Concilijs fuit damnata: & ipse met eam ter abjuravit, & tandem in fide Catholicâ, cum magna penitidine sui erroris, objicit.

Septi-

Septimò, considerandum quales sînt, qui hanc doctrinam oppugnant: nempe homines vitâ infames, superbi, contumeliosi, impuri, multis alijs nefandis erroribus obnoxij. Quis credat, Deum illis potius, quam viris sanctissimis, humillimis, castissimis, modestissimis, veritatem patefecisse? Insanum est hoc existimare.

Octavò, quod præcipua ratio, quâ hæretici hoc mysterium oppugnant, sit, quod hoc videatur impossibile. Sed multa alia nobis credenda sunt, quæ humano judicio videri possint impossibilia. Alioquin explicit nobis, quomodo Deus ex nihilo fecit mundum? Quomodo Deus est trinus personis, essentiâ unus? Quomodo Filius factus est homo? Quomodo si Filius verè est Deus & homo, non etiam Pater, & Spiritus S. sit homo? Quomodo Christus natus est clauso utero? & quomodo resurrexit clauso sepulchro? Quomodo fiet resurrexio carnis? Quomodo impii in suis corporibus æterno cruciabuntur igne, nec sumentur? & alia hujus generis; quæ si humâ ratione expendantur, planè videbuntur impossibilia.

Nonò, consideranda debilitas nostri intellectu-

tellectus, qui est infimus inter omnes intellectus creatos, & ita debilis, ut nullam rem corporalem, quantumvis familiarem, clare & distincte, qualis secundum speciem suam sit, cognoscere possit. Imò nullus est sapientum hujus mundi, qui vel centesimam partem secretorum, quæ latent in una formica vel musca, (ut mihi facile esset ostendere) possit investigare. Quod si in rebus infimis ita cœcutimus; quanto magis in summis, & diuinis nostram cœcitatem & ignorantiam fateri debemus, & omne iudicium nostrum Deo, & Ecclesiæ humiliter subjicere?

III. His omnibus consideratis, perspicuum est, hanc doctrinam firmiter credendam tanquam à Deo traditam, & confirmatam: idque eâ firmitate, quâ par est supremæ & diuinæ auctoritati credi. Itaque statuam mecum illam firmissimè credere, & potius mortem oppetere, quam ullo modo de eâ velle dubitare, ne diuinæ auctoritatis iniurias. Digna quidem est diuina auctoritas, cui infinitâ firmitate creditur; verum, quia id præstare non possumus, postulat ut omni quâ possumus firmitate, diuinâ gratiâ adjuti, ei credamus, omnem sensum & intelligentiam nostram in obsequium fidei captivantes. Si-

Simili modo poterimus excitare fidem circa reliquos fidei nostræ articulos, considerando rationes & motiva, quæ illos creditu dignos faciunt: & divinæ auctoritatis magnitudinem, propter quam firmissimè credi debent.

**C A P U T   III.**

*Quomodo excitanda spes remissionis peccatorum,  
& salutis obtinende?*

**C**onsiderandum, Primò, quod Deus ex nihilo nos ad imaginem suam creavit, non ut damnaret; sed ut salvaret, & gloriæ suæ participes faceret. Bonum enim est sui communicativum, & summi boni est, summè se communicare.

Secundò, quod cùm lapsi essemus in peccatum & perditionem, Filium suum miserit, ut natura nostra assumpta pro nobis satisficeret, nos redimeret, & ex inimicis amicos Dei, & filios, & Regni cælestis hæredes efficeret. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam eternam  
*Ioan. 3.*

Tertiò,

*Tertio, Si Deus, cum adhuc essemus inimici, nos ita dilexit, ut voluerit pro nobis mortem subire; quanto magis nunc, cum ei servire & placere cupimus, nos salvare desiderat, cum ad hoc morte non sit amplius opus? Si enim, inquit Apostolus, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij ejus: multò magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Rom. 5.*

*Quartò, Deum velle omnes homines salvos fieri: ut expresse Apostolus affirmat. Imò certum est, omnibus hominibus, præsentim fidelibus, ex parte Dei dari auxilium sufficiens, quo salutem consequi possint, si velint cooperari, ut ex Concilio Arausican cap. 25. & ex Trident. sess. 6. c. 13. colligitur.*

*Quintò, Misericordiam Dei & meritum Christi esse infinites majora, quam sit gravitas peccatorum totius mundi: omniaque omnium hominum peccata ad misericordiam Dei, & meritum Christi, esse instar guttæ aquæ ad immensum ignem. Quam facile immensus ignis consumit guttam aquæ, tam facile Dei misericordia, & Christi meritum absumerent omnia mundi peccata, si homines ex parte suâ se disponerent, & de illis dolorerent.*

lerent. Unde etiam si tu tam multa, & gravia peccata commisisses, quām omnes simul homines commiserunt ; si ex animo dolores, quōd divinam Majestatem per illa offendēris, & seriō statueres in posterum abstinere, in momento per Christi meritum omnia de-lerentur, & filius Dei, hāresī Regni cælestis constituereris.

Sextō, considerandum, quām innumerabiles, & quām graves peccatores sint misericordiam & salutem omnibus sæculis conse- cuti : quarē non dubites, te etiam consequi posse.

Ex his, & similibus considerationibus, magnam in me spem salutis excitabo.

**C A P U T IV.**

*Quomodo excitanda charitas in Deum?*

**C**ONSIDERANDA hīc Dei in nos charitas, & beneficia plurima maximaque.

Primō, quōd nos ex nihilo ad imaginem & similitudinem suam creaverit, ac proinde capaces beatitudinis suæ, omniumque bonorum suorum fecerit.

F

Secun-

Secundò, quòd cælum & terram, solem, lunam, stellas, & elementa, & omnem natu-  
ram corpoream nostrâ caussâ condiderit, &  
nostrâ caussâ conservet, gubernet, ac moveat;  
& omnia nasci & crescere faciat. Et quòd  
beatissimos illos Spiritus ad nostram custo-  
diam, directionem, & opem deputaverit.

Tertiò, quòd perditos ab æterna morte,  
& incendijs inferorum sempiternis redeme-  
rit, & inimicos in gratiam receperit.

Quartò, quòd non solùm redemerit, sed  
etiam in filios adoptaverit, & Spiritu sancto  
donaverit, & cœlestis regni hæredes fecerit.

Quintò, quòd Corpus & Sanguinem su-  
um nobis in alimentum vitæ æternæ felici-  
querit.

Sextò, considerandum, quàm miris mo-  
dis, quantis laboribus, cruciatibus, in nostra  
natura assumpta, hæc perfecerit: quàm mul-  
ta indigna & acerba sit passus, nostrâ caussâ.

Septimò, quòd infinitum meritorum  
suum thesaurum nobis in Sacramentis re-  
liquerit, per quém, quoties contingeret labi,  
possemus restitui & reconciliari, & auxilium  
ad rectè vivendum obtainere.

Octavò, consideranda mihi sunt benefi-  
cia,

cia, quæ in me peculiariter contulit: ut quòd non fecerit nasci inter Turcas vel hæreticos; neque eo tempore, quo lux Evangelica nondum erat patefacta; sed tempore gratiæ, & inter Christianos, ut in vera religione & pie- tate possem institui. Quòd ab innumeris pec- catorum & æternæ damnationis periculis eripuerit, quibus alij perierunt. Quòd ab hæ- resi & seductoribus, quibus plenus est mun- dus, servaverit. Quòd toties peccantem be- nignè sustinuerit, & in gratiam receperit. Quis unquam princeps, quantumvis cle- mens, subditum septies reum, septies in gra- tiam recepit? At Deus non septies, sed cen- ties, & millies peccantes, toties rursum in gra- tiam recipit, & amicos ac filios, & hæredes efficit.

Nonò, denique, quòd tota Dei cura, co- gitatio & molitio circa nos & circa creaturem omnes, non aliò tendat, quam ut nos æter- nam salutem consequamur.

Itaque si Deus, si summa illa Majestas ita me dilexit, tam multa, tam magna, tam mira- bilia in me beneficia contulit, tam indigna & acerba pro me pertulit, tanta benignitate af- fiducia erga me utitur; perpendam, quantum

F 2

ego

ego vicissim illi amorem, quantum obsequium, & obedientiam debeam. Sanè etiam illis millies pro ejus gloria possem sanguinem fundere, & mille annis maximos labores subire, ne millesimam quidem partem vel unus beneficij possem compensare; quia singula ejus beneficia sunt infinitæ estimacionis, & infinitum amorem, & obsequium à nobis postularent, si præstare possemus. Verum quia id non possumus, statuam firmiter præstare id, quod facile possum, & quod divina bonitas est contenta: nempe omnia ejus præcepta omni curâ servare, ita, ut potius mortem velim subire, quam aliquod ex illis violare. Deinde totam vitam meam ipsius obsequio addicere, ut omnes meæ cogitationes & actiones ad ipsius gloriam dirigantur.

## C A P U T V.

*Quomodo excitanda contritio de peccatis?*

C Ontritio duo postulat, nempe dolorem de peccatis, quod divinam Majestatem offenderimus; & propositum seruum emendationis, ut ei placeamus. Itaq; consideranda hic

hic sunt beneficia divina in nos collata, & nostra vicissim in Deum ingratitudo.

Beneficia considerari poterunt modo supra declarato. Sed in primis expendendus est admirabilis ille amor, quo me ita dilexit, ut naturam meam assumere, & in ea tantos labores & dolores sustinere, tam acerba & indigna perpeti voluerit; idq; eo tantum fine, ut me à peccatis & morte æternâ liberaret, Dei q; filium, & regni hæredem constitueret. Hæc ubi benè perpensa fuerint, considerandum è contrario, quām parum tanto amori, tantisq; beneficijs responderim.

I. Quòd gratias ei, ut par est, non egerim.  
II. Quòd raro de ejus in me amore & immensis beneficijs cogitaverim: quod magnæ ingratitudinis est signum.

III. Quòd ejus amorem & amicitiam, omnia ejus beneficia, omnia promissa, omnes labores, sanguinem, passionem, & crucem nihili penderim, contempserim, & proculcarim; malens pro re caducâ & vilissimâ adhærere ejus hosti, & sequi consilia hostis, quām parere illius mandatis: quòd infinitæ ingratitudinis & amentiæ est.

IV. Quòd non solum amorem ejus & beneficia

86 Caput V. De Contritione.

neficia nihili fecerim & contempserim, sed etiam ejus Majestatem plurimis modis gravissime offenderim, & innumera illi mala pro infinitis bonis in me collatis, rependerim.

V. Denique, quod nullus unquam hominem tam ingratus extiterit suo Regi & benefactori, quam ego ingratus extiti meo Conditori & Redemptori.

Quibus omnibus ante oculos positis, & probè ponderatis, suffundar pudore, & extabo in me maximum dolorem propter tantam ingratitudinem, & injuriam in tantam Majestatem & benefactorem. Deinde proponam seriam vitæ emendationem, peccata mea confiteri, pœnitentiam agere, omnia ejus præcepta accuratè servare & omnes meas cogitationes, studia, conatus, vitamq; tam ejus obsequio & gloriæ impendere.

C A P U T VI.

Quomodo excitandus humilitatis affectus?

Considera corporis tui conditionem, quam vile, quam fragile, quam luteum, quot morbis & doloribus obnoxium, quot frustu-

frustulis compaetum, quantis fordibus instar latrinarum oppletum. Deniq; ubi anima re- cesserit, nihil humano corpore fœdius, nihil horribilius.

II. Conditionem animæ, quæ statim ut corpori inseritur, peccato inquinatur, & dia- boli serva efficitur. Cujus intellectus ad ea quæ sunt salutis, per se est cæcus; ad res natu- rales adeò debilis & obscurus, ut nullam ea- rum perfectè cognoscere possit. Et quamvis mille annis ad hoc incumberet, ne centesi- mam quidem partem latentis in ea veritatis assequeretur. Cujus memoria angusta, infida, labilis, confusa: cuius voluntas à cælestibus aversa, ad terrena inclinata, corporis volu- ptatibus dedita; denique ad omne malum propensa, ad omne bonum languida: & ita fragilis; ut minimâ occasione millies labatur. Tanta quoque est debilitas harum trium fa- cultatum, ut modico vapore, vel humore ce- rebri possit earum usus impediri, vel planè perverti: ut in amentibus, phreneticis, mani- acis, ebrijs cernimus.

III. Considera quot, quantisq; peccatis sis vel fueris obnoxius: quorum quodlibet te fecit inimicum Dei, mancipium diaboli, &

hæredem inferni, denique omnibus suppli-  
cijs & contumelijs dignissimum. Itaque co-  
gita, te coram Deo & Angelis sanctis dignum,  
quem nemo amet, nemo honoret, nemo ju-  
vet, aut humaniter tractet : sed quem omnes  
contemnunt, conspuant, exterminent, & o-  
mnibus contumelij afficiant : imò contra  
quem omnis creatura insurgat, injuriam sui  
conditoris vindicatura. Hæc omnia meretur  
omnis, qui mortifero peccato se contaminat,  
& insuper æternum ignem, & æternam igno-  
miniam. Cogita, nihil posse esse vel cogitari  
vilius, ignobilius, contemptibilius, magisque  
dignum omni contemptu, dedecore, probro,  
suppicio, quam sit peccator.

Considera, te ex te nihil boni habere, sed  
omne bonum quod in te est, sive naturale,  
sive supernaturale, esse Dei, & ex Deo : & id-  
circo ob illa bona non tibi, sed Deo gloriam,  
laudem & honorem deberi.

Considera, quanta vanitas sit, extollere  
se ratione formæ corporis, quæ & res infirma  
est, & instar floris marcescit : vel ratione ro-  
boris, quod in tauris & equis longè majus :  
vel ratione opum, quæ fluxæ, infimæ, extra-  
nos, terra nempe rubra vel candida : vel ra-  
tione

tione nobilitatis, quæ in hominum apprehensione consistit, nec quidquam boni in homine ponit; nec apud Deum & Angelos ejus æstimatur, & peccato penitus obruitur, omnię ignominię digna efficitur: vel ratione potestatis Regiae, quæ nihil boni in homine statuit, sed infinitas curas & molestias secum trahit, magisque onerat quam ornat: præsertim cum obnoxium reddendæ rationi apud supremum Judicem de subditorum factis, & innumeris negotijs constituat: vel de sapientiā, quæ in mortalibus adeò exigua, in dæmonibus millecuplo major: vel de perfectione virtutis, cum simus adeò imperfecti in omni virtutum officio, & adeò fragiles, ut vel sponte nostrâ, vel minimo temptationis impulsu sæpè labamur.

Quibus omnibus benè perpensis, statues tecum; Primo, Ut imposterum te non magnipendas, nec magnis honoribus dignum ducas; sed agnoscas vilitatem & indignitatem tuam. Secundo. Ut non appetas videri & magni æstimari ab hominibus. Tertio, Ut si aliquod dedecus obvenerit, aliqua ignomonia irrogata fuerit, accipias id de manu Domini peccata tua castigantis, & cogites te

90 : Caput VII. De Patientia.

multo majore ignominiâ & infamiâ dignum, ut qui toties æternam extremamq; ignominiam, & afflictionem merueris. Quartò, Ut optes ipse contumeliam pati, tum quia propter peccata tua dignus es; tum quia Dominus tuâ caussâ contumelias maximas sustinuit, cui te convenit assimiliari, si aliquando cum illo cupis regnare. *Si enim compatimur, & conglorificabimur.* Quintò, ut semper in me considerem meas imperfectiones, & qualis sim ex me; in proximis verò ea, quæ sunt perfectionis, & quales sint ex Deo: ut hac ratione in animo meo me omnibus postponam, & deteriorem aestimem, & omnes me præstantiores ducam. Hoc modo S. Franciscus censebat se omnibus mortalibus pejorem.

C A P U T VII.

Quomodo excitanda Patientia?

Conſiderandum exemplum Domini nostri, quem Deus Pater, ut daret nobis patientiæ & humilitatis exemplum, crucem sumere, & crucem subire voluit. Cogita, si ipse Dei Filius tam multa acerba, indigna, & igno-

ignominiosa tuæ salutis caußâ perpessus est,  
quid tu pro tua salute perferre non debeas?  
*Si Christum oporebat nostrâ caußâ pati, & ita  
intrare in gloriam suam: cur nos quoq; non pa-  
tiamur, si in eandem gloriam intrare velimus?*

II. Considera exempla Sanctorum. Nullus enim est, qui multa & gravia non sit perpessus: plurimi enim sustinuerunt carceres, exilia, bonorum direptionem, servitutem, damnationem in metallis, famem, sitiim, nuditatem, morbos, plurimi etiam fidiculas, castas, flagella, scorpiones, unguis ferreas, cudentes laminas, craticulas, lartagines, lentos signes, jactus lapidum, laniatus ferarum, distractiones membrorum, & mille alia tormentorum genera tolerarunt: ad quæ omnia, quæ nos patimur, ludus sunt & jocus. Perpende etiam labores, & austерitatem vitæ plurimorum Monachorum & Eremitarum, ut Pauli, Antonij, Hilarionis, Hieronimi, Simeonis Stylitæ, Danielis Stylitæ, Benedicti, Dominici Loricati, Romualdi, Bernardi, Guilielmi, Brunonis, Dominici, Francisci Assisi, Francisci à Paula, Francisci Xaverij, & aliorum innumerabilium. Omnibus infixum animo manebat illud Apostoli: *Per multas tribulações oportet nos intrare in Regnum Dei.*

Perpende illam Apostoli sententiam:  
*Non sunt condigne passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*  
 Etiam si mille annis pro vita æterna nobis efficeretur laborandum, & omnia Martyrum tormenta sustinenda; hoc totum ad illam gloriam, & ad illa sempiterna gaudia perinde esset, ac si quis pro Monarchia orbis obtinendâ, offerret unum quadrantem, vel modicum unius horæ laborem. Imò illud effet longè minus; quia temporanei laboris, ad æternam mercedem, nulla est proportio.

IV. Considera, quantas utilitates afflictio secum adferat. Primò. Satisfacit pro peccatis, seu poenis gravissimis, quæ peccatis debentur, & igne purgatorio essent luendæ. Modica paucorum dierum tribulatio patienter tolerata, sæpè est tanti apud Deum, quanti perpessio ignis purgatorij multorum annorum. Secundò, purgat animam à peccatorum fôrdibus, nempe à maculis & affectibus peccatorum. Sicut enim aurum purgatur igne, & probatissimum redditur, ita justus in camino tribulationis. Tribulatio enim mentem excitat, ut ad Deum confugiat, & ab eo opem flagitet: quam ut impetrat, dolet de peccatis.  
 ob

ob quæ plerumque afflictiones immittuntur,  
proponit vitæ emendationem, deserit pristinæ  
nugas, & serio se ad Deum convertit.  
Denique sensim cognoscit vanitatem hujus  
mundi, & incipit suspirare ad cælestia. Contra  
prosperitas facit nos oblivisci Dei, & rerum  
cælestium, & plurimis peccatis involuit;  
juxta illud Moysis Deuteron. 32. *Incrassatus*  
*est dilectus, & recalcitravit: incrassatus, impinguatus,*  
*dilatatus, dereliquit Deum factorem suum,*  
*& recessit à Deo salutari suo.* Tertiò, Tri-  
bulatio probat hominem, tum quia ostendit,  
qualis sit; tum quia dat occasionem perfectæ  
virtutis. Si enim in afflictione constitutus per-  
severes firmus in obsequio Dei, omnia pati-  
enter de manu ejus accipiens, signum est te  
solidâ virtute præditum, & perfectum esse  
Christianum. Hoc sensu Jacobi 1. dicitur:  
*Patientia opus perfectum habet.* Si vero fueris  
impatientis, proximis mala imprecando, con-  
tra Deum murmurando, viam justitiae des-  
rendo, voluptatibus & vitijs te addicendo, ad  
hæreticorum & atheorum castra transeundo,  
signum est te antea quoque parum in virtute  
solidum extitisse. Hoc sensu dicitur Prover-  
bior. 17. v. 3. *Sicut igne probatur argentum, &*

*aurum*

aurum in camino, ita corda probat Dominus. Quarto, Facit nos Christo similes, qui in hac vita maximas omnis generis afflictiones sustinuit. Quod si Christo similes fuerimus in afflictionibus, similes quoque erimus in gloria. Si compatimur, & conregnabimus. Si Christi passionibus communicaverimus, in revelatione gloria ejus gaudebimus exultantes. Etsi tribulatio per se non sit amabilis, tamen quia nos configurat & similes facit Christo, valde amabilis redditur, præsertim accedente tanto fructu. Quinto, Facit hominem beatum in hac vita, propter certissimam spem vitæ æternæ. Unde Jacob. Apostol<sup>o</sup>. ait: Omne gaudium existimat fratres, cum in farias tentationes (id est tribulationes) incideritis. Et infra: Beatus vir, qui suffert temptationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus.   
 V. Considera illam sententiam Apostoli: Id quod in præsenti est momentaneum, & leviter tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Expende singulas antitheses. Tribulatio est momentanea, sed gloria, qua compensatur, est æterna: tribulatio est levis, sed gloriæ pondus immensum: tribulatio in terris, sed gloria in sublimitate.

in sublimitate inter Angelos. Quis non am-  
pleteatur amariuscum potionem, quæ  
æternam confert sanitatem & vigorem?

VI. Considera non posse tibi tot obvenire  
afflictiones, vel hominum malignitate, vel  
aliâ ratione, quin millicuplo amplius merea-  
ris. Cùm enim vel unicum peccatum morti-  
ferum mereatur pœnam ignis sempiternam;  
multo magis meretur omnes hujus vitæ affli-  
ctiones. Quòd si putas te nunquam mortife-  
rè peccasse, (quamquam id non facilè sibi  
quis persuadere debeat) scias tamen, quoti-  
diana peccata hujusmodi afflictiones, & lon-  
gè maiores mereri. Itaque quidquid tibi acci-  
derit calamitatum, accipe de manu Domini  
cum gratiarum actione: & cogita, te longè  
majora promeritum; ac proinde benignè &  
clementer tecum agi, ut levi & brevi afflictio-  
ne redimas æternam.

VII. Considera tribulationem esse signum  
divini amoris. Quia enim te Deus amat, vult  
te hîc purgare, & expolire, & tanquam lapi-  
dem vivum aptare supernæ civitati. *Quem*  
*enim* *diligit Dominus, castigat: flagellat autem*  
*omnem filium quem suscipit.* Inimicos verò su-  
os, qui æterno reservantur igni, permittit hîc  
prosperis rebus uti, & abuti. VIII.

VIII. Considera, si impatiens fueris, te omnem fructum, quem ex tribulatione capere poteras, perdere, & sensum mali per impatientiam non mitigari, sed exasperari: per patientiam vero non solum mitigari: sed tantam saepè consolationem infundi, ut malum vix sentiatur, vel etiam penitus obruatur.

His perpensis, statues tecum omnia quae tibi acciderint, accipere de manu Domini, cogitando millescuplo plura & graviora te promeritum. Secundo, statues, non solum illa patienter, sed etiam cum gaudio ferre, cum tanta bona per tribulationem tibi sint obventura.

### C A P U T VIII.

*Quomodo excitandum temperantie studium?*

Considera, quanta bona secum temperantia ferat; & quanta mala intemperantia,

I. Temperantia præstat corpus sanum, vegetum, agile, ad omnes suos motus expeditum, & omnia pænè morborum genera pellit. Nam omnes ferè morbi ex intemperantia proveniunt. II. Pra-

II. Præstat longævitatem, ut innumeris exemplis eorum, qui in summa abstinentia diutissimè vixerunt, ostendi potest. Cum enim excludat morbos, quibus vita plerumq; ante tempus succidi solet, facit ut vita producatur, donec exhausto calore nativo, & humore primigenio, per se instar lucernæ extinguitur. Hinc scriptura Ecclesiastici 27. *Qui abstinens est, adjicet vitam.*

III. Præstat vigorem sensibus externis, qui abundantiam cibi potusque obtundi solent.

IV. Mitigat animi passiones, præsertim iracundiam & melancholiam, sed super omnia tentationes carnis; nec ullum post gratiam divinam est efficacius adversus eas remedium. Unde illustres quique Sanctorum maximè præsidio temperantiae & jejuniij in hoc prælio usi sunt, & victores extiterunt.

V. Mentem reddit expeditam & alacrem ad omnes suas functiones, & orationem, meditationem, studia, conciones, ad danda consilia, & quævis negotia tractanda: denique facit idoneam divinis illustrationibus excipiendis.

*Intemperantia horum omnium præstat contraria. Perpende itaque quām turpe sit,*

G

quan-

98 Caput IX. De contemptu mundi.

quantæq; fatuitatis, ob modicam gulæ volu-  
ptatem tanta bona perdere; & tantis mali-  
se exponere: & statue tecum sanctam sobri-  
tatem perpetuò colore.

C A F U T I X.

Ad contemptum Mundi.

I. Perpende illam sententiam S. Joan-  
*Si quis diligit mundum, non est charitas*  
*Patrii in eo: quoniam omne quod est in mundo*  
*concupiscentia carnis est: & concupiscentia ocu-*  
*lorum, & superbia vita. Cave ergo ne diligas*  
*mundum: quia si illum diligas, charitas Pa-*  
*tris te deseret; & concupiscentia carnis, vel*  
*concupiscentia oculorum, vel superbia vita*  
*vel hæc tria simul, te apprehendent & oc-*  
*cupabunt.*

II. Considera, quam parva sint & mo-  
mentanea, quæ mundus suis amatoribus pro-  
mittit; quam magna & solida, quæ Christus  
Dominus. Promittit mundus divitias, hono-  
nores, voluptates. Divitiae consistunt in auro  
& argento, in fundis, in pecoribus, in domi-  
bus, & variâ supellestile. Hæc omnia terra-  
lunt,

sunt, vel è terra orta, & in terram resolvenda : neque eorum abundantia ad corporis, vel animi bonam constitutionem juvat. Honores consistunt in magnis officijs, dignitatibus, titulis, præfecturis, Magistratibus, quæ nec corpus benè afficiunt, nec animum meliorum reddunt. Voluptates sunt blandæ quædam sensuum titillationes, nobis cum brutis animantibus communes, raptim transeuntes.

III. Considera, quanta mala & incommoda hæc secum ferant. Ac primùm quantis laboribus, curis, molestijs divitiæ acquirantur, & acquisitæ conserventur. Semper animus est sollicitus & intentus, semper anxius & inquietus. Quantis animæ & corporis periculis studiosi opum expositi. Quàm innumera peccata in acquirendo committantur: quàm innumera in eorum usu. Nullum enim est flagitium, quod homines ditescere volentes non committant: nullum est, cuius perpetrandi, divitiæ jam obtentæ, non prebeant facultatem & ausum.

IV. Perpende illam Domini sententiam : *Vero vobis divitibus! qui hic habetis consolationem vestram.* Et alibi : *Amen dico vobis: facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divi-*

*tem intrare in regnum celorum. Quibus veris ingens periculum damnationis ex divitij denunciat. Item illam sententiam Apostoli:*  
*Qui volunt divites fieri, incident in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quae mergunt homines in interiorum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Quae sententiae si recte expendantur, abunde sufficiunt ad divitiarum contemptum.*

V. Considera, quod ad honores attinet. Primo, Quantas curas secum deferant, quantas anxietates, indignationes, æmulationes, tum ut acquirantur, tum ut conserventur. Nunquam animus est quietus: semper enim novæ occurruunt occasiones vel timendi, vel indignandi, vel vindicandi, vel appetendi & sollicitandi; ut nullum mare sit magis instabile, aut majoribus agitetur motibus, quam animus hominis ambitiosi. Secundo, Quod magni honores magnis quoque oneribus sunt conjuncti, ac proinde magnos etiam & afflidos labores postulent, ut muneri satis fiat. Nullum munus laboriosius, quam munus Regum & Principum. Tertio, Quod quo honores sunt majores, eo gravior sit culpa, si quid peccatum.

*Capit. IX. De contemptu mundi.* 101

peccetur; tum propter exemplum, tum quia, si quid iniqui, statuatur, læsio ad plures pertingit. Hinc sapientiae 6. dicitur: *Potentes potenter tormenta patientur.* Quartò, Quod Superiores non solum de factis suis, sed etiam de factis suorum subditorum reddituri sint rationem apud magnum Dei tribunal. Quintò, Quod in magnis honoribus magna sit peccandi licentia, & impunitas, magna potestas & facilitas exequendi, magna monitorum inopia, magna adulatorum copia; quo fit sæpe, ut & graviter peccetur, & rarius sequatur emendatio, nisi magnus Dei timor animum possideat. Sextò, Quod multiplex cura, quæ magnos honores comitatur, ita omnes cogitationes hominis sibi vindicet, ut vix unquam serio de ijs, quæ ad suam salutem, & statum futuræ vitae pertinent, cogitare possit. Quo fit, ut totus æternitatis fructus, ob quem nobis tres illæ nobilissimæ facultates, intellectus, memoria, voluntas datæ sunt à Deo, vel maxima pars nobis pereat. Quidquid enim ad vitam æternam non conducit, quantumvis videatur magnum & splendidum, nullius est momenti.

VI. Quod ad voluptates attinet, considera-

G 3

ra:

ra: Primò, Quām viles sint res, de quibus homines gaudent, & ex quibus voluptatem capiunt; qualia sunt convivia, symposia, spectacula, veneria, pulchræ vestes, ludus, joci, turpiloquia, & similia; quæ omnia indigna animo generoso, nedum Christiano, & æternitatis candidato. Secundò, Quanta incommoda, & damna inferat voluptas. Nam corpus enervat, & plurimis morbis subjicit: animum putrescere facit, rationis lumen extinguit, totum hominem vilem & contemptibilem reddit, & ad innumera peccata impellit. Nullum enim est flagitium, nulla turpitudo, quæ voluptatis causa non suscipiatur. Denique, nullus virtuti locus est, in voluptatis regno. Præterea quantis mceroribus & aculeis animorum, voluptates sœculi permixtæ: quia inter voluptates sœpè conscientia pungit, & ijs transactis mcerorem infert, & furdo flagello miseram animam affligit,

VII. Considera, quantò excellentiores & puriores sint voluptates servorum Dei. Semper enim sunt læti, semper alacres: nihil est, quod animum interius excruciet. Imò ipse dolor de peccatis & imperfectionibus cœlesti consolatione plenus. Centuplò majorem volupta-

voluptatem percipiunt ex rerum cælestium consideratione, & spē certissimâ bonorum futurorum, quām sœculares homines ex convivijs & rebus venereis, &c.

VIII. Considera, quanta in sœculo sint pericula salutis, ratione sociorum & hominum, quibuscum versandum; ratione conviviorum, symposiorum, amicitiarum, inimicitiarum, rixarum fortuitarum, & aliorum eventuum, quibus infinita multitudo hominum perit, & æternæ salutis damnum facit.

IX. Perpende, si à Domino consilium peteres, utrum tibi sœculum sit deserendum, an sequendum? quid tibi consilij esset daturus; quidnam ipse Spiritus sanctus in Scripturis suadeat? quid Apostoli, & omnes verè Spiritu Dei pleni? Rursus cogita, quid te velles fecisse, si nunc tibi moriendum esset; & coram supremo tribunali (æternam sententiam excepturus) comparendum. Magnæ insipientiae est, modò non amplecti, quod tunc omnibus votis optabimus nos amplexos.

C A P U T X.

*Ut Deum semper habeamus præsentem.*

I. Cogita, Deum esse spiritum subtilissimum, potentissimum, vivacissimum, per omnia diffusum, omnia penetrantem, omnibus intimè præsentem.

II. Cogita, hunc immensum spiritum esse intimè præsentem cordi tuo, & ibi in fundo animæ delitescere, cum tota potentia, sapientia, sanctitate, maiestate & beatitudine suâ, & cum infinitis opibus & bonis, quæ in thesauris sapientiæ & potentiæ illius sunt recondita. Ipsum posse in momento te beatum facere, unam scintillam luminis gloriosi communicando. Posse quoque, si ipsum offenderis, subito perdere, & æternis ignibus tradere.

III. Cogita, ejus oculos millecuplo lucidiores sole, intueri omnes intentiones, omnes affectus, omnia opera interna & externa: denique omnia nuda & aperta esse oculis ejus.

IV. Perpende, quomodo sit in rebus omnibus: & imprimis in te ipso per essentiam,

Per

per potentiam, & per inspectionem. *Per essentiam*: quia ejus essentia ratione suæ immensitatis, cum omnibus bonis suis ubiq; est præsens, tanquam intimum fundamentum & sustentaculum rerum. *Per potentiam*: quia ubique & in omnibus operatur, omnia creando, formando, conservando, sustentando, regendo: quæ operatio si cessaret, omnia in nihilum evanescerent. *Per inspectionem*: quia omnia clarissimè intuetur, & pervidet omnes hominum cogitationes, affectus, consilia, & omnia cordium arcana.

V. Considera, naturam tuam, & omnia bona tua ab ipso assiduè pendere, & quasi assiduè creari: & singulis momentis totum quod es, & quod habes, te ab ipso debere accipere: ita ut singulis momentis totum sit veluti novum beneficium. Non enim sufficit semel accepisse, sicut in beneficijs quæ ab hominibus dantur, sed continuò accipere debeamus, & ipse assiduè donare: alioquin si ipse vel ad momentum cesseret à donando, beneficium evanescit. Sicut enim si sol non assiduè lumen suum nobis communicaret, sed vel ad momentum vim suam cohiberet, omnia repente essent in tenebris: ita si ipse vel

ad momentum beneficū influxū suū retraheret, omnia in nihilū conciderent.

VI. Cūm semper in conspectu tantæ Majestatis versemur, perpende, quantā reverentia & humilitate in omnibus nos gerere debeamus: & quantā curā nobis adhibenda, ne quid à nobis interiùs in corde, vel exteriùs in opere committatur, quod ipsum possit offendere. Si enim, cūm in conspectu alicujus Principiis, cui tamen naturæ conditione pares sumus, versamur, reverenter nos gerimus, & scđulò cavemus, ne quid agamus, quod ipsi displiceat: multò magis id nobis curandum est in conspectu tantæ Majestatis, ad quam comparati sumus instar nihili.

VII. Perpendæ, quantæ impudentiæ & audaciæ sit audere in conspectu tantæ Majestatis peccare. Si enim in conspectu Principiis minitantis mortem, aliquis præceptum Principiis violaret, censeretur illum contemnere, & gravem injuriam illi irrogare; ac proinde morte dignissimus: multò magis qui in præsentiâ & conspectu infinitæ illius Majestatis fulmen æternæ damnationis comminantis audet peccare, censetur ejus Majestatem, & ininas omnes contemnere, & æternâ morte dignus est.

VIII.

VIII. Statue te quotidie singulari studio in conspectu illius Majestatis, omnibus alijs cogitationibus semotis, perinde ac si præter te, & Deum nihil esset in mundo. Revela illi viam tuam, allega tuas miserias, & pericula salutis, quibus in hac vita expositus: & posce suppliciter opem, protectionem & directionem in omnibus vijs & operibus tuis, ut in omnibus ita te regat & dirigat, sicut novit expedire saluti tuæ & gloriæ suæ.

**C A P U T XI.**

*Ad excitandum desiderium cælestis patriæ.*

I. **C**onsidera loci amœnitatem & pulchritudinem, in quo Justi semper erunt? qui tantum omnia hujus mundi palatia superat, quantum cælestia terrenis præstantiora sunt. Maximi faciunt Principes & divites sæculi habitationem splendidam & magnificam, aulas & cubilia auratis & picturatis peristromatis ornata, & omnis generis pretiosa supellectili instructa, quanti igitur superna illa palatia facienda sunt, ad quæ omnia Regum hujus mundi domicilia, quantumvis splendida &

da & ornata, sunt instar tugurij rusticani, vel potius stabuli equorum & mulorum? Si ex auro & solidis gemmis urbes & domicilia fingeras parva sunt hæc omnia ad supernæ civitatis pulchritudinem & excellentiam. Illa enim omnia adhuc terrena sunt, & ex terra confecta; hæc cælestia & supercælestia incomparabiliter mundiora & pulchriora. Cùm ergo Beati vident se tam excellenti habitatione in omne ævum usuros, ingenti inde gaudio perfunduntur.

II. Considera civium illius beatæ Civitatis multitudinem, pulchritudinem, & excellentiam, & eorum inter se suavissimam familiaritatem. Multitudo eorum erit innumerable, ut totam illam supercælestem regionem, ad quam terra universa est instar puncti, quodammodo repleat. Totum enim cælum habitari debet. Nulla ibi deserta, nulla loca incolis vacua: ubique divinæ laudes personabunt, & Alleluja cantabitur. Pulchritudo singulorum, admirabilis: corpore enim fulgebunt instar solis, animo instar divinitatis. Omnes enim beati Spiritus, & animæ erunt similes divinitatis, utpote filij Dei, & excellentissimæ Dei imagines. Quanta volu-

ptas

ptas erit talis spectaculi, in quo innumerabilis civium supernorum multitudo instar deorum resplendens, suis locis & ordinibus pulcherrimè disposita cernetur. Dignitate omnes sunt cives cœli & filii Dei, omnes sunt reges & triumphatores, ut qui de mundo, carne, & diabolo victoriam reportarint. Omnes Sacerdotes Deo Sacrificium laudis perpetuò offerentes. Denique minimus in cœlo major est dignitate, & gloria omnibus Regibus hujus mundi. Alij tamen sunt alijs majores: sicut enim inter stellas magna est diversitas claritatis & excellentiæ, ita inter cœli cives.

Neque solùm ex horum omnium conspectu & præsentia singuli voluptatem capient, sed etiam ex familiari usu & consuetudine. Singuli enim norunt singulos nominatim: cum singulis, quando placet, possunt colloqui, & familiariter tractare. Singuli singulorum benevolentiam & amicitiam sentiunt. Omnes enim sincerissimo amore se mutuo prosequuntur, nec minus de aliorū, quam de suis bonis gaudent. Si magnæ voluptatis est, in aula alicujus Principis omnium benevolentiam & gratiam obtinere: quantæ voluptatis

810 Caput XI. De desiderio cœlestis patriæ.

ptatis erit, in immensâ illâ infiniti Principis aulâ, tam innumerabilium procerum amicitia & familiaritate frui?

III. Considera, quibus functionibus sint dediti. Tota eorum vita est contemplari, amare, frui, delectari, exultate, laudare, benedicere, gratias agere, gratulari. Omnes ex vi contemplationis, & præ ardentî in Deum (qui ipsos tantis bonis cumulavit) amore & gaudio in laudes & gratiarum actiones erumpent. Laudabunt illum ex omnibus ejus operibus & beneficijs; ex opere creationis & gubernationis, ex opere redemptionis & justificationis, ex operibus misericordiæ & justitiæ, ex præmijs iustorum & pœnís impiorum, ex omnibus occultis ejus & manifestis judicij, denique ex totâ rerum creatarum dispositione. Hæc omnia menti eorum obversabuntur; & clarè consilium Dei in singulis intelligent, & incredibili consolatione perfundentur, & præ magnitudine gaudij illum de omnibus sigillatim laudabunt, & benedict, & glorificabunt, & gratias agent immortales. Itaque materia sempiternæ laudi non deerit.

Credibile est, hæc laudes, sicut in Angelis

gelis spirituali voce, & spiritualis cantici more peragentur, ita in hominibus etiam corporali voce perficiendas: ut sicut animo & corpore constabunt, ita non solum animo, sed etiam corpore Deum laudent. Itaque erit ibi excellentissima vocum harmonia, omnem musicam hujus mundi incomparabiliter superans.

IV. Considera quantum gaudij perceptu-  
ri sint ex eo, quod videant se ex maximis  
malis liberatos, & de suis bonis in om-  
nem æternitatem securos. Videbunt sub se  
inferorum incendia, & infinitem impio-  
rum colluviem illis involutam, & instar struis  
lignorum ardentem. Videbunt pericula eo-  
randem malorum, in quibus ipsi quoq; sœpè  
constituti fuerunt; videbunt se divinâ miser-  
ricordiâ ereptos, & in æternum redditos se-  
curos. Comparabunt suam felicitatem cum  
illorum miseriâ, sicque duplii nomine gau-  
debunt, & Deo gratias agent. Infiniti enim  
beneficij loco ducent, & quod ex infinito  
malo, quod periculosissem illis impendebat,  
sint exempti; & quod æternis bonis sint af-  
fluentissimè cumulati.

V. Considera quoque gaudia, quæ ex do-  
tibus

112 Caput XI. De desiderio celestis patriæ.

tibus corporis percipient. Fulgebunt enim corpora instar solis: erunt immortalia, inviolabilia, & omnis perpessionis expertia. Par modo erunt agilia & velocia instar fulminis, & penetrantia instar radij solaris, vel naturæ spiritualis. Tota cælorum vastitas ad illam velocitatem erit instar unius aulæ vel cubiculi: momento temporis in quavis mundi plagâ sistere se poterunt.

VI. Considerandum, quod et si hæc magna sint, & ingentium gaudiorum causa; incomparabiliter tamen majus esse videre Deum, & contemplari infinitum illud bonum & pulchrum, omnis boni & pulchri fontem, illud complecti & amare, illius dulcedinem gustare, & torrente voluptatis ipsius potari, ejus gloriæ & beatitudinis esse participem, & omnibus ejus bonis perfici. Sicut enim ipse infinite præstantior est omnibus bonis creatis, ita quoq; gaudia, quæ de ipso & ex ipso capientur, incomparabiliter majora sunt & suaviora, quam omnia gaudia, quæ ex bonis creatis percipi possunt. Deniq; his omnibus gaudijs immensus quidam gaudijs cumulus ex eo, quod clare videant, & his omnibus bonis firmissimè & securissimè in omne ævum fruituros.

S. A N-

A decorative horizontal border element consisting of a repeating pattern of stylized floral or leaf-like motifs.

S. A N S E L M U S.

Proslogiae, c. 25.

**Q**uid ergo, per multa vagaris, homuncio,  
quærendo bona animæ & corpori  
tuo? si delectat pulchritudo? fulgebunt Justi  
sicut sol in regno Patris sui. Si velocitas aut  
fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil pos-  
sit obsistere? erunt similes Angelis Dei: quia  
seminatur corpus animale, & surget corpus  
spirituale, potestate utiq; non naturâ. Si lon-  
ga & salubris vita? ibi lana est æternitas, &  
æterna sanitas: quia Justi in perpetuum vi-  
ent, & salus Justorum à Domino. Si satie-  
tas? satiabuntur cum apparuerit gloria Dei.  
Si ebrietas? inebriabuntur ab ubertate do-  
mûs Dei. Si melodia? ibi Angelorum cho-  
concinunt sine fine Deo. Si quælibet non im-  
mundia, sed munda voluptas? torrente volu-  
ptatis tuæ potabis eos Deus. Si Sapientia?  
ipsa Dei sapientia ostendet eis scipiam. Si

H am-

amicitia? diligent Deum plus quam seipso, & invicem tamquam seipso & Deus illos plusquam illi seipso: quia illi illum, & se, & invicem per illum; & ille se, & illos per seipsum. Si concordia? omnibus illis erit una voluntas; quia nulla illis erit, nisi sola Dei voluntas. Si potestas? omnipotentes erunt voluntatis suae, sicut Deus suae: nam sicut poterit Deus quod volet, per seipsum: Ita poterunt quod volent per Deum. Si honor & dignitatem? Deus servos suos bonos & fideles supra multa constituet: immo filij Dei & dei vocabuntur: & ubi erit Filius ejus, ibi erunt & illi, heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si vera securitas? ita certi erunt, numquam illud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt, se suâ sponte id non amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitatis ablaturum; nec aliquid Deo potenterius, ipsos invitatos à Deo separaturum. Gaudium vero quale & quantum, ubi tantum bonum?

Utiq[ue] tantum gaudebunt, quantum amabunt, & tantum amabunt, quantum cognoscent. Quantum te cognolcent Domine tunc,

tunc, & quantum te amabunt? Certè, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit in hac vitâ, quantum te cognoscunt, & amabunt in illâ vitâ.

*Documenta ad perfectionem ex Divi  
Bernardi formulâ honestæ vita.*

**S**I plenè vis assequi quod intendis, duo sunt tibi necessaria. Primum est, ut subtrahas te ab omnibus transitorijs rebus, & terrenis, ut nihil de eis cures, ac si non essent. Secundum, ut ita te des Deo, ut nihil dicas vel facias nisi quod credideris firmiter placere Deo. Primum autem assequeris hoc modo. Omnibus modis, quibus potes, te vilifica, te nihil reputando esse, sed credas omnes homines esse bonos & meliores te, magisque placere Deo: quæcunque audis, vel vides in Religiosis personis puta bonâ intentione dici vel fieri, etiamsi contraria videantur: nam humana suspicio facile fallitur. Nulli disciplinas, nihil unquam de te loquaris quod laudem importet, quantumcunque sit familiaris

H 2

ille

ille cum quo loqueris: imò plus labora celare virtutes, quām vitia; de nullo proflus sinistrè loquaris, libentiū accommoda aurem tuam, cùm aliquis laudatur, quām cùm vituperatur. Cùm loqueris, verba tua sint rara, vera, ponderosa, & de Deo: si quis loquitur tecum, & vana proponit, quanto citius potes, succide sermonem, & transferas te ad ea, quæ Dei sunt. Quicquid contingat tibi, vel alij, quantumcunque coniuncto, non cures: & si est adversum, non tristeris; si est prosperum, non læteris: sed totum nihil puta, & Deum lauda. De nullâ re murmures cum aliquo, nunquam pertinaciter aliquid affirmes, vel neges, sed sint tuæ affirmationes & negationes, dubitationis sale conditæ,

Secundum assequeris hoc modo: orationibus cum magnâ devotione intendas & eas dicere labora horis debitis, & quod offers in oratione, reminiscaris in corde. Ista tria semper in mente habeas: Quid fuisti? quia sperma fœtidum; quides? quia vas sterorum; quid eris? quia esca vermium. Similiter imagineris eorum pœnas, qui sunt in inferno, & quod nunquam finientur, & pro quām

quām modicā delectatione tanta mala patiuntur. Similiter imagineris gloriam Paradisi, & quod nunquam finietur, & quām breviter & citè acquiritur: & quantus luctus & dolor poterit esse illis, qui pro parvâ re tantam gloriam amiserint. Quandocunque est festum alicujus Sancti, cogita de illo, quanta sustinuit propter Deum, quia brevia; & qualia adeptus est, quia æterna. Similiter cogita, quia transcurrunt bonorum tormenta, malorum gaudia. Hi cum ipsis tormentis adepti sunt gloriam æternam, & ipsis ex indebitis gaudijs æternam pœnam. Quandocunque te vincit acedia, cogita de tempore, quod sacerdis, & quod illi, qui in inferno sunt, darent totum mundum (si haberent) pro eo. Cùm habes alias tribulationes; cogita quod illi, qui sunt in paradyso, carent eis: similiter cùm habes alias consolationes, cogita illos de inferno carere eis. Omni die, cùm vadis cubitum, examina diligenter, quid cogitasti, & quid dixisti in die, & quomodo utile tempus & spatum, quod datum est ad acquirendam vitam æternam, dispensasti: & si bene transiisti, lauda Deum; si male, vel negligenter, lugeas. Si aliquid cogitasti, dixisti, vel fecisti,

H 3

quod

quod tuam conscientiam multum remordeat, non comedas antequam confitearis, vel conteratis. Istud in fine ponō, ut imagineris duas civitates, unam plenam omnibus tormentis, quæ est infernus; alteram plenam omni consolatione, quæ est paradisus; & ad unam illarum oportet te currere. Vide utram eligas, ut inhabitet in te Spiritus sanctus: serva quæ hic legis, & lauda Deum; qui est pius & misericors in saecula saeculorum

**Amen.**

**C O G I**

# COGITATIONES CHRISTIANÆ.

Quolibet die mensis utiliter  
suscipienda.

## PRIMUS DIES.

*De Fide.*

I.

**T**O tum illud , quod à Fide Christiana docemur, haud alij innititur fundamento, quam solius Dei revelantis autoritati. Ex ore Christi proleta est ea doctrina, quam Ecclesia fidelibus credendam proponit: itaque errandi periculum non est, ubi Veritas ipsa se comitem præbet & ducet.

II. Quid prodest fides, nisi eadem ut regulâ pro moribus conformandis utaris? nunc quid dementis animi est argumentum, vel leviter dubitare de veritate ejus doctrinæ, quæ à Deo ipso revelata, quam tot Christi Martyres suo subscripterunt cruce, & profuso consignarunt sanguine: quāmque tot stabilitam

H 4

mira-

miraculis, vel ipsi Dæmones diversis in occa-  
sionibus professi sunt? at major tua est de-  
mentia, si credideris Christi doctrinam esse  
veram, & vixeris, quasi haud dubitares de  
eiusdem falsitate: an non hoc modo credunt  
Dæmones? quorum vita & fides discrepant.

III. Ergo fides sit deinceps actionum mea-  
rum principium & regula totius vitæ. Quod  
illa reprobat damnataque, hoc ego vicissim  
reprobo & damno, non attentis naturæ re-  
pugnantis legibus. Quandocunque occasio  
tulerit, Evangelij radios sæculi hujus nequam  
oppónam tenebris. Quid enim mundus lug-  
gerit? quisq; sequatur suarum passionum im-  
petus; nihil adversi patienti ferat animo;  
vindictam de inimicis querat, sumatque: at  
quid Christus? quid docuit Æterna Veritas?  
planè contrarium prædictis: utrùm sequeris  
Iesum Christum, an mundum?

*Ages Deo gratias, quòd te ad veram fidem vo-  
caverit; & Symbolum Apostolicum è attentione  
dices, quâ solemnem fidei professionem recitares.*

*Adauge nobis fidem. Luc. 17.  
Quid prodest, si quis Catholice credat,  
& gentiliter vivat? Pet. Damianus.*

S E

SECUNDUS DIES.

*De Fine Hominis.*

I. Deus solus, finis noster ultimus est : nec potuit nos creare, quām propter semetipsum : conscientia nostra dat nobis testimonium, quod simus propter Deum : nec quisquam hæc negaverit, nisi is, qui seipsum decipit & prodit.

II. Unicuique hoc dandum, quod ad ipsum pertinet : demus ergo nos Deo, quia ejus & factura, & creatura sumus : si quis noluerit ei subesse sponte, ut obediens filius, suberit vel invitus, ut servus & mancipium : necessitate enim est, ut vel vivamus sub imperio ejus bonitatis, aut rigorosæ justitiae. Quod placuerit elige.

III. Quælibet res dirigitur in suum finem ; & agitur juxta leges naturæ. Si Sol, cuius est æra & mundum illuminare, lucem hominibus subtraheret : nunquid foret, ac si non esset ? aut potius monstria alicujus, & portentis loco haberetur ? Simili planè modo homo à Deo, & propter Deum creatus, si ejusdem servitio subtrahat : non homo, sed monstrum est. Itaque deinceps solius ero Dei, omnes co-

templa II

H 5

gitatio-

gitationes vitæ meæ non aliud spectabunt, quām majus ejusdem obsequium. Ah quām languidè hucusque intentiones meas in metam, qui Deus est, direxi: Ah quam deinceps vitam vivam in terra; nisi unicum illum, ob quem creatus sum, finem respiciam!

*Natus ad tam sublimem & præcellentem finem, nulli unquam adhæreborei, quæ aut excellētiam meam contaminare, aut decus creationis meæ subvertere valeat.*

Dominus meus & Deus meus. *Ioan. 10.*  
Totum te exigit, qui totum te fecit. S.  
*Augustinus.*

### T E R T I U S D I E S.

*De Mundi contempn.*

I. **I**S, qui mundo adhæret, habet, unde minus rectè dicatur Christianus; certè Christi non manet, qui ait: *Ego non sum de hoc Mundo:* mundus enim cum suis titulis, opibus & pompis capitalis est Jesu Christi inimicus: principia Christi & ejus præcepta, ac intentiones adversantur ijs, quæ tradit mundus: utrique simul servire non potes: aut hunc, aut illum oderis, necesse est.

II. Amor

II. Amor mundi violat juramentum factum in Baptismo; ubi Sathanæ & ejus pompis renunciavimus: tenemur itaq; vi arctissimæ obligationis hujus laudum, dignitatum, gloriæ, & rerum omnium, quæ mundi amatoribus admirationi sunt, manifesti esse contemptores. Quanta perfidia, imò quām abominandum sacrilegium hominis Christiani, mundum, ceu idolum colere, & terrena cœlestibus præhabere!

III. Nihil reperias in mundo, quod amoris animi immortalis dignum sit; imò nec tantum boni habet, quo ijs, qui ipsi ut affecclæ serviunt, satisfaciat: ejus thesauri, recreaciones, honores occupant quidem & implicant cor humanum, verūm explere, ut quietum sit, haud possunt: sunt enim ea, quæ mundus aestimat, falsa, & evanida, quibus specie veri boni suis amatoribus illudit. Quòd fortuna magis attidet, tanto certius illudit, & gravius præparat præcipitum: omnes ejus illecebriæ plenæ sunt amaritudine: æquè suspiratur sub corona aurea, quām in pedicis ferreis.

*Ora Deum, ut spiritum hujus mundi in te destruat, donerg. gratiam, quā perfectam abnegationem, & renunciationem pomparum, titulorum, opum,*

*opum, famæ, existimationis, & omnium, que mundus quarit, & estimat, consequare.*

Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum. *Luc. 16.*

Væ his, qui adhæserunt transiuntibus; quoniam simul transiunt.

## QUARTUS DIES.

### *De Morte.*

I. **E**st, quod mortem timeat Christianus, si vitam Christiano homine indignam duxerit: quam redde Deo rationem de vita in voluptatibus traducta? quam ineffabiles adferet angustias & anxietates vel solùm cogitare, omnes occasiones salutis reparandæ perditas? verè amara mors est homini impio, Dei inimico; dum funestissimum illud temporis attinget momentum, quod omnes honores, voluptates, & bona fortunæ terminabit, & pœnas sceleribus æternum destinatas inchoabit.

II. Quod in hora mortis te fecisse voles, istud fac modò; nec fidas tempori, cuius quodlibet momentum, potest esse vitæ tuæ ultimum. Quò vixeris diutiùs, tantò propinquiòt

qui or es sepulchro; et vicinior est tibi mors,  
quò longius emanet.

III. O quām lucidum & purgatum feres  
judicium de bonis hujus sēculi; quando  
oportebit te deserere eadem? Velis, nolisve.  
Modò, dum sanus es, meditare mortem, &  
decretorizæ verba sententiaz, Statutum est se-  
mel mori) sēpè revolve. Quò pulchritudo  
formæ, quò corporis venustas, quò honores  
& voluptates in isto tremenda æternitatis  
momento recident? mors omnia, ut in se  
sunt, ponit ob oculos: dum vivimus, mundum  
æstimamus: dum morimur, contemnimus:  
cui plus credam, an viventi, an morienti? Ah!  
quām breves, quām viles mundi hujus illece-  
bras lux cerei mortualis monstrabit in agone  
ultimo. Ohomo, in terris mors semel obit,   
semel, inquam, sed unde pendet aut fœlix  
æternitas, aut æterna infœlicitas.

Illud quod maximè timeres, si modò tibi mo-  
riendum esset, sine mora emenda: quamlibet tua-  
rum actionum ita institue, ac si postrema foret:  
exercitio incumbe bonorum operum, usum Sacra-  
mentorum dignum habe, & frequentem, & die.  
Moriatur anima mea morte justorum, & fiant  
noyissima mea horum similia. n. 23.

Uno

Uno tantum gradu, ego, morsque dividimur. 1. Regum.

Christiano crastinum non est. Tertull.

## Q U I N T U S D I E S.

*De extremo Iudicio.*

I. Statutum est, ut unusquisque ante Iesu Christi tribunal semel compareat, judicandus juxta opera sua, seu mala fuerint, seu bona. Nullam veritatem clarius, & frequentius Evangelium proponit, Hinc adeo firmiter eidem adhaereo, quām si iam tum fatalis tubæ mortuos excitaturus clangor auribus insonaret.

II. Quām rationem reddemus de innumeris, & propè infinitis cogitationibus flagitiosis, quas impij exercuimus? O diem crudelēm & indigationis plenum & irae & furoris Domini! Isa 13. ubi omnia nuda & aperta erunt; ubi nihil futurum sit tam minutum, quod non considerabitur, expendetur, judicabitur. Quando vix iusti erunt securi, impij ubi apparebunt?

III. Quām sententiam expectabit peccator impoenitens à Judice inexorabili? O terribilis

ribile, & omnis quietis expers dictum! *Ite maledicti*, at quò ibunt (Domine) illi ter infelitimi, quos maledictos pronuncias? quem mundi angulum petent? quod erit eorum receptaculum? esse abjectum & maledictum à Deo in æternum, quantus horror? quanta confusio?

*Imagineris jam te in districto iudicio Iesu Christi consistere, de quo peccato major subibit mentem confusio? credere & seriò expende, quòd occultissima quaque peccata & sordes locis occultis & in tenebris obita, palam producentur.*

*Ante faciem ejus indignationis, quis stabit? Nahum 1.*

*Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ discutias eam: S. Augustinus.*

## SEXTUS DIES.

### *De Inferno.*

**I**UT inferni horrorem, & peccati detestationem veram & constantem habeas; acue aures, audi ejulatus & lamenta damnatorum: in hoc divinæ Justitiæ carcere, qui flammis ardentissimis, & omni tormentorum varieta-

varietate refertus est, suspirant, gemunt, ululant, velut feroce bestiæ damnati, agnoscunt peccata sua, plorant, detestantur, at sero: lacrymæ eorum non profundit, nisi ad hoc, ut ignem infernalem magis magisque excitent, augeantque flamas, quibus uruntur, at non comburuntur. O pœnitentiam rigorosam, sed planè inutilem!

II. Deum nunquam intueri, igne inextinguibili aduri æternū, tormenta pati tam crudelia & acerba, ut, quæ sunt hujus vitæ acerbissima, eorum comparatione depicta videri possint, omne genus malorum sine ulla consolatione sustinere, semper dæmones terribili specie apparentes præ oculis habere, & coacto hostium suorum affligi aspectu, qualis hæc vita!

III. Damnati aguntur in rabiem; dum recordantur tòt à sè neglectas occasiones salutis: memoria præteritarum voluptatum majoris est tormentum: at maximum illud; quando conscientia eis proponit, Deum sine spe ulla recuperationis æternū amissū fore.

*Spiritu descendē in infernum, interroga damnatos, qua de causa detrusi in locum illum tormentorum, considera eorum etatem, statum, infelicitatem: & confige timore cor tuum.*      Quis

Quis poterit habitare de vobis cum igne  
de vorante? *Isaiæ 33.*

De pœna in pœnam transeunt, de ardore  
cupiditatis in flamas gehennarum. *S. Aug.*

S E P T I M U S D I E S.

*De Aeternitate pœnarum inferni.*

I. **V**oluptas momentanea supplicijs in omnem æternitatem non finiendis, à Deo punitur. Quanta infelicitas, esse infelicem tamdiu, dum Deus est nunquid sat erat miseriarum, damnatos extrema quæque malorum pati, nisi insuper æternū eadem patarentur? punctura acūs leve videtur malum; at si quotidie eādem in parte corporis sustinenda foret, malum importabile diceretur. Si per horæ quadrantem sine summo cruciatu digitum ardenti faci committere non ausis; per Deum! per quas vires igneo in ergastulo æternas flamas sustinebis?

II. O æternitas! æternitas! quām longa es, quām longa es interminabilis! quando reprobus tantum fuderit lacrymarum, ut flumina & maria efficiant, etsi quod seculis unam stillarit lacrymulam; jamque post annorum

I norum

norum milliones infinitos hæ guttæ tam immensos æquoris tractus implerint, tormentorum est initium. Finem nescit æternitas: ac ita quidem; ut post ardores, frigora, fætores, famem, sitim, cæterasque pœnas tot annorum millibus & millionibus toleratas, quot aquæ guttæ sunt in mari, arenæ grana in littoribus, atomi in aëre, folia in sylvis, grama in campis semper oporteat retexere denuoque inchoare. O æternitas, quam longa es, quam interminabilis!

III. Damnati non solum tormenta sustinent per totam æternitatem; sed quolibet momento totius æternitatis pœnas subeunt: æternitas damnatis semper est tota præsens; singulis adeat tormentis: damnatorum hæc est *Cogitatio*, æternitatem pœnarum nunquam finiendam. O deplorandus status damnatorum! O *Cogitatio* eorundem infanda: æternum uri, æternum plorare, æternum age in rabiem! ah! quis nobis det, ut, dum vivimus, vivacem tantorum malorum habeamus memoriam, & tantam misericiarum abyssum altius animis infigamus!

*Exerce actum fidei; quo credas æternitatem pœnarum, vel uni peccato mortali debitarum.*  
Opor-

Oportet te ô homo etiam hoc credere , quod tuum intellectum transcendit : ô insaniam Christiani, nolentis pænarum infernalium æternitatem intelligere, nisi propriâ experientiâ easdem delibet.

Qui non obediunt Evangelio, pœnas dabant in interitu sempiternas. 2. Thessal. 1.

Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.

## O C T A V U S D I E S.

### De Paradiso.

I. **P**aradisus! O vocem lætam ! qui vel appellat Paradisum , dicit statum omnis felicitatis, atque elongationem omnis mali : Paradisus initium operum divinæ magnificètiae, pretium Sanguinis Jesu Christi, complementum omnium desideriorum cordis humani : Paradisus locus est tam præstans, ut omnes hujus vitæ divitiæ, honores, voluptates cum illo collatae non sint aliud, quam umbra, fumus & simus.

II. Videre Deum in sua gloria, amare Deum sine mensura, possidere eundem absque metu unquam perdendi, esse felicem eadem cum Deo felicitate, objectum est spei Christiani

stiani hominis. Ah ! si pauci forent exilio  
mei, & peregrinationis dies ! ut tandem æter-  
num eo fruerer, quem diligit anima mea.

III. Quid refert, quò loci morem ut hic  
in terra? modò per æternitatem liceat esse  
cum Iesu & Maria in Paradiso. Locus, in quo  
habebis, quidquid desideras, in quo nihil eorum  
est, quæ formidare possis, in quo omni  
bonorum genere sine ulla mali admixtione  
afflues, exiguo comparari potest : Martyres  
Christi cælum emerunt pretio sui sanguinis,  
alij sustinendo exiguum persecutionem, alij  
aliarum virtutum exercitio; ah felix æterni-  
tas : O si nossent homines, quanti valeres !

*Excites in te ardens Deum videndi desideri-  
um : terram respectu cæli ut illoacam sordidam  
contemne, si cor tuum impleveris Cogitatione  
paradisi, nihil in hoc mundo timere, aut mirari  
poteris.*

Satiabor cum apparuerit gloria tua. *Psal. 16.*  
Si labor terret, merces invitet. *S. Bernardus.*

### NONUS DIES.

*De Præsentia Dei.*

I. **D**eus haud aliter me observat, ac in-  
tuetur ; quam si unicus & solus forem  
in

in mundo: vel ut melius loquar: Deus intime & essentialiter replet corpus meum, membra mea, animam meam, ac facultates, quidquid denique sum; ita, ut nihil in me sit, quod non sit plenum Deo: hinc singulos homines eodem intuetur oculo, quo se ipsum.

II. Quām mihi probrosum, & ignominiosum est, quod iniquitates meæ ita vultui divino objiciantur, quam si oculis totius mundi exposita legerentur. An audes facere coram servo & mancipio tuo, quod in præsentia Regis Rerum non erubescis perpetrare? quanta cæcitas timere oculos hominum, & nihili facere obtutum divinum!

III. Nullæ tenebræ, quantumvis Cimmeriæ, adeò densæ sunt, quæ nos abscondere queant ab intuitu Dei. Omnes sylvarum recessus, omnem solitudinem cordis humani divina Majestas suâ præsentia & essentiâ implet. Hominum oculos fugere haud difficile, at Dei impossibile est.

*Constitute te in lumine divinae præsentie, & adverte, utrum quid in te lateat, quod oculos Dei offendat: assuefcere exercitio Dei omnia intuentis præsentie: remedium efficax contra peccatum est, Deus me videt, & effrenatos passionum impetus retardat.*

*oMnIa nVDa, & aperta sVnt oCVLIs  
elVs. Hebr. 4.*

*Si peccare vis, quære locum, ubi te non  
videt Deus, & fac, quod vis. S. Augustinus.*

## DECIMUS DIES.

*De habenda cura sua salutis.*

I. **N**egotium procurrandæ salutis propriè  
spectat & unicè ad hominem : reliqua  
omnia aut parvi, aut penitus nihili facienda  
sunt. Regum & Principum suscepta consilia,  
tricæ aularum & supplantationes, bellorum  
expeditiones, negotiationum administratio-  
nes nugæ sunt & pueriles fabulæ : at Deo fi-  
deliter servire, eidem velle placere, curamq;  
salutis suæ gerere, negotium est negotiationum.  
Omnis perfectio hominis ac felicitas in hoc  
consistit, ut Dei sit amicus. Non est dicendus  
homo, qui negligit salutem, cuius damnum  
est irreparabile. Quanta cæcitas ! quanta de-  
mentia, immò perversitas, continuò somniare  
de vita protrahenda ! at utrùm sit bona, an  
mala, minus curæ habere. Temporalibus bo-  
nis totus inhias, salutis tuæ oblivisceris. *Quid  
prodest homini, si universum mundum lucretur, a-  
nimæ vero sua detrimentum patiatur.* II.

II. Omnia creata cō tendunt, ut nostræ saluti conducant, hōcque si fine deſtituantur, inutilia reputabuntur: ſimili modo quando deſtituit homo operari ſuam ſalutem. Sol jure merito lumen ſuum retraheret, cæli revolutiones ſuas inhiberent, terra fructus proferre negaret, Angeli nos derelinquerent, omnia in ſuum nihilum reciderent. Indignus eſt vitâ, qui Deo recuſat vivere.

III. Interea maxima pars hominum nihil minus trahet, quām ſuæ ſalutis negotium: omnium rerum habetur cura, exceptâ ſalute, quæ altæ oblivioni immergebitur. Ex omnibus & in omnibus profectum quærimus; argenteum annum lucratur censum; agri coluntur, ut fruges & fructus producant; omnia dama-na, quæ inferuntur, deplorantur, excepto irreparabili danno ſalutis: corporis continua eſt cura, animæ vix ulla; quaſi anima noſtra non foret noſtra, immo ac ſi capitalis eſſet inimicus; aut illam ideò à Deo accepisſemus, ut pefundaremus.

*Resolve quoquenque etiam preſio aut impensis ſalutem in tuto ponere. Imitare hac in re Summum Pontificem Benedictum duodecimum, à quo cūm Rex quidam rem iuſtam petiſſet, respondit:*

*duas si haberem animas, non illubenter unam tibi, o Rex! donarem; at cum unicam à Deo habeam, nolim illam perdere.*

Porro unum est necessarium. *Luc. 10.*

Ubi salutis damnum, illic utique jam lucrum nullum est. *S. Euch.*

## UNDÉCIMUS DIES.

*De horrore peccati.*

I. **Q**uale damnum perdere Deum! si mundi judicio æstimandi sint infelices illi, qui temporalium jacturam patiuntur bonorum, qui perditâ lite foro cedere coguntur, aut aliunde rediguntur ad incitas; nunc quid multò infelicior censendus ille, qui bonum perdit absolutè infinitum? maledictus homo, qui peccati dulcedine illectus vendit Deum: at magis execrabilis sit, qui, postquam malitiosè Deum abjecit, pro nihilo tanzeni jacturam reputat.

II. O peccatum! quam frequens es inter homines, & quam te parum agnoscent? dum lusibus & recreationibus intendunt, fiunt execrables Deo: at quis ille lusus, quæ hæc recreatio? Deus, qui totus amor est, infinitè odit peccatorem, quia commisit iniquitatem,

tem, quæ est totius Dei privatio. Peccatum malum est infinitum, fœdissima deformitas, amentia consummata, defectus essentialis in quo nihil sit bonitatis, nihil virtutis, nihil perfectionis: O homo, quid times, si non timeas peccatum!

III: Dominicæ passionis in monte Calvariae exhibita terribile fuit spectaculum: atamen status animæ gratiâ Dei destitutæ magis est tremendus, quam filij Dei morientis in cruce. Iesus non est mortuus, nisi ut destrueret peccatum, quod magis horruit, quam crudelissimam mortem.

Concipe verum animi dolorem de commissis peccatis: nullum damnum cuiusq; rei oportet te ita deplorare, quam jacturam divinæ gratiæ; cuius unius detrimentum lacrymis reparari potest.

Quem fructum habuistis in ijs, in quibus nunc erubescitis? Rom. 6.

Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, se aliquid melius habituram S. August.

## DUODECIMUS DIES.

### De Pœnitentia.

I. **F**ac pœnitentiam, & crede Evangelio, ait Salvator noster. Hic conjungit, ut

I 5

nos

nos doceat rigorem pœnitentiæ inseparabilem à professione Christianæ fidei. Christus durante suâ mortali vitâ continuam egit pœnitentiam ad peccata hominum expianda, ac ut iustitiæ æterni Patris sui satisfaceret : agamus & nos ad ejus exemplum fructus dignos pœnitentiæ. Si Sanctus Sanctorum jejunavit, ploravit, quid peccatores & scelerati facere debent.

II. Necessarium est, ut peccatum suam habeat pœnam : vel ab eo, qui commisit, aut contra quem patratum est, puniatur oportet : ni peccator de se ipso in tempore vindictam sumat, rigor Dei iustitiæ vindicabit illud per totam æternitatem : crimina nisi abluantur per lacrymas pœnitentiæ , punientur per flamas inferni. Nunquid præstat per aliquot dies plorare ob commissas iniquitates ; quamæternum igne infernali torqueri ?

III. Haud sufficienter reconciliaris Deo per hoc, quod advolvaris Sacerdotis pedibus, caput cinere contegas, totum corpus ciliicinâ veste cooperias ; nisi addideris sicutum dolorem de peccato admisso, renunciaris omnibus ijs illecebribus, quibus ad peccandum attraheris, injusta lucra , & male parta reddi-

reddideris; alioquin non pœnitens, sed impostor appellandus es, ferventes orationes, frequentes eleemosynas, acres carnis mace-rationes non constituunt hominem Christia-num verè pœnitentem: at odium peccati, dolor de Deo offenso, vitæ perversæ constans mutatio pœnitentiæ laudem merentur.

*Petas à Deo veniam, quod in hanc usq[ue] horam duxeris vitam Evangelicæ & Christianæ perfectioni planè contrariam. Insuper rogabis dari tibi gratiam, qua deinceps vivas convenienter primis fidelibus, quorum pœnitentiam & mores imitare.*

Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. *Luc. 13.*

Pœnitentibus dico: quid prodest si humiliamini, si non mutamini. *S. August.*

## DECIMUS TERTIUS DIES.

*De non differenda vita emendatione.*

I. **Q**uid est, quod differam, quod minus ci-tò totus sim Dei? cur me dare recuso Creatori, cuius manus nemo effugit? an malum est, subesse & obedire imperanti Deo? an probrosum est, vitam ignominiosam tandem finire? potestne nimium pulchritudo infini-

infinita amari? cras, inquit peccator, eras, at  
cur non hodie, aut etiam, si libet, hac horâ?  
an cras catenæ, quibus vitijs alligaris, facilius  
rumpentur? cor peccatis affuetum eritne  
mollius in emendationem! ah nequaquam!  
tempus, quod omnia consumit, malas pec-  
candi consuetudines fortificat, ac solidat.  
Dum remedia differuntur, mala invalescunt.  
Serò medicina dum paratur, medicina  
non est.

II. Quod istud malum amentiæ, quâ vo-  
cantis te Dei vocem ad pœnitentiam audire  
ac sequi recusas? quis prompto remoram, aut  
volenti obedire timorem incutit? an mutan-  
di perversos vitæ mores tanta difficultas? sit  
difficile, sit arduum naturæ in malum assuetæ  
in melius assurgere; Certè Christum profes-  
so, adorantí Deum crucifixum, & cælestem  
gloriam expectanti minùs grave videri debet,  
quidquid horum causâ reclamante quamvis  
naturâ vitiatâ sustinet: si tamen quid sit, quod  
terrere te videatur, timor est panicus, aut in-  
juria, quam divinis facis auxilijs.

III. Differre vitæ emendationem, dices,  
meum est; Deus trahit moras & patienter ex-  
pectat. Sit ita: at scriptura non assignat, quan-  
tum

tum ad vivendum supersit temporis. Qui pœnitenti veniam, peccanti diem non promisit crastinum: potest esse, ut pro emendatione morum multum restet temporis: at non video, cur non æquè parum restare queat. An salutem tuam & æternam Beatitudinem adeò incertò eventui committes;

*Considera tempus elapsum, quo cum Deo in gratiam redire tenebaris, & salutari concutere timore; dum tam præsens interitus æterni vides periculum.*

Dixi, nunc cæpi. *Psal. 79.*  
Nulla satis magna securitas, ubi periclitatur æternitas. *S. Gregor.*

## DECIMUS QUARTUS DIES.

*De respectibus humanis.*

**I.** *M*undus obgannit: homines sinistre actiones interpretantur: finas utrumque fieri: an propter vilis plebeculae discursum tu quoque desipere desideras? quid itaque dicetur? scilicet quod magis sis timens Dei, quam hominum; imò prudentiores, apud seiplos te pluris æstimabunt, dicentque; quod prudenter & cum ratione agas: ac de-

niq:

niq; quid refert, qui & quales tibi obloquantur ; modò tui officij & obligationis memor Deo placere studeas.

II. Quām detestanda est mollities, erubescere Evangelium ! honori ducis, si terreni portes insignia Principis : & confunderis portare Jesu Christi? Utilissimi artifices aper-  
tē profitentur artem mechanicam ; & Chri-  
stum professus non audeat in Ecclesia dici  
Christianus ? quicunque erubuerit filium ho-  
minis coram hominibus , erubescet ipsum  
quoque coram Patre suo cælesti.

III. Ecquid est, quod habeat ter adoran-  
dus Jesus, cuius te pudeat ? an nomen ejus in-  
fame ? an opprobrium , ejus sequi doctrinam  
& virtutum exempla ? Tu non confunderis,  
quod dicaris, siisque impudicus, perjurus, bla-  
sphemus ? imò in his captas , nescio, quam  
gloriam : at si homo justus & rectus corde vo-  
ceris, pudore afficeris. O perversitas & dete-  
stanta cæcitas humanæ malitiæ ! attamen  
manet fixum ratumque, optimum quemque,  
& honestissimum esse illum , qui Deo pro-  
fitetur, & ei fideliter servit , & intrepidam  
hujus servitutis facit professionem.

*Interro-*

*Interrogabis te ipsum, utrum aliquando hec mundi vanitas, & fallacia tibi timorem incusserit, & impedierit; quod minus officii Christiani obligationibus satisfeceris.*

Non erubetco Evangelium. *Rom. 1.*

*Quid times frontit ux, quam signo Crucis armasti? S. August.*

## DECIMUS QUINTUS DIES.

*De diffidentia sui ipsius.*

I. **N**on habet homo, quod æquè timeat, quam seipsum: propriam infirmitatem seu debilitatem magis suspectam habeat, quam omnes inferni vires & astutias. Verbum unum, aut suspirium, unicus respectus humanus sufficiunt, ut vincatur. Adam protoplastus peccavit, Regum alias sapientissimus Salomon devenit in oblivionem Dei. Princeps Apostolorum sanctus Petrus negavit Jesum Christum. Quid fieri baculo arundineo; si leves venti inflectant cedros?

II. Homo frequenter superatur absque hoste, qui ipsum aggrediatur. Indomitæ mentis passiones, & sensus nostri continuò nobis insidianter, conspirant, oppugnantque

que cor nostrum. Inimicus noster est periculus, isque domesticus. Viri, quos persecutio nulla fævities potuit vincere, turpiter ceciderunt in Eremo: post victorias à tyranis & dæmonibus reportatas prostrati sunt à propria concupiscentia. Nunquam tecum pacem habeas; neque tibi ipsi confidas.

III. Viros sanctissimos vel sola suscepta *Cogitatio* status animæ suæ ante tribunal Dei pertere fecit: auditæ sunt Anachoretæ, & horridæ Eremi incolæ, quamvis rigidissimæ pœnitentiæ viri essent, ad horam mortis suspirare, gemere, plorare; eò, quod nescirent formidabile illud divinæ justitiæ decretum; neque ipsis constaret, utrum amore, an odio digni forent. Momentum sat est, ut ex Dei amico fias reprobis.

*Dic s&pè cum sancto Philippo Nereo:* Domine! Hodie tibi à me caveas; nam si me mihi ipsi reliqueris, tradam te, erōq; tuus proditor.

*Ergo occasionses prævide, & devita;* sunt enim ille magis periculoæ, quaæ minus videntur timende.

*Qui se existimat stare; videat, ne cadat.*

*i. Cor. 10.*

*Quamvis sis in tuto, noli esse securus.* S. Bernard. D E-

## DECIMUS SEXTUS DIES.

*De usu divinorum auxiliorum.*

I. **T**antum gratiæ & divinorum habes auxiliorum, quantum Iesus Dei filius tibi pretio sui sanguinis comparavit, petijtq; à Patre suo cælesti, dum animam in cruce redderet. Quando negligis sanctas à cælo submissas *Cogitationes*, quando vel unam sancti Spiritus contemnis inspirationem, quæ te excitat ad curam salutis; idem facis, ac si pedibus sanguinem Christi proculares. Nunquid hoc est inutilem reddere fructum mortis Salvatoris tui?

II. Deo sumus obligatissimi, non solum ob gratias ab ipso nobis collatas, sed insuper tenemur rei beneficiorum, quæ suis fuissent præstata, nisi nostra ignavia obicem posuisset. An jure de lumine Solis conqueri posses, si ejusdem radiis valvas ligneas opponeres, lucemq; cubile alias illustraturam prohiberes?

III. Quem non pudeat, quod à viginti forsitan & pluribus annis divinas Inspirationes in negotio urgentissimæ salutis exequi ignavissime recusat? tanto temporis intervallo scholam Spiritus sancti frequentasse & mi-

K

nus

nūs nihilo didicisse. Hoc enim verò dedecus est & infamia inexcusabilis. Toties ad bonum impelli, jam promissis largissimis, modò minis & reprehensionibus, mox iterum blandissimis verbis, & tamen æquè pervicacem in negotio animæ salvandæ durare; hoc demum non hominem, sed brutum arguit. Frequenter memineris, quantum Deo debeas, & quot ei obstrictus sis titulis; neque tibi detur, posse manus ejus effugere, aut, sicut fieri solet in negotijs mercatorum, foro cedere. Certè quo diutiùs debitorum solutionem distuleris Deo facere, eò ipse majori te fœnore occupabit.

*Spiritui Sancto agende gratia propter tot salutares admonitiones, & toties repetitas inspirationes. Petas ab eodem veniam tuæ contumaciæ. Iam saltem adverte, quid, & quomodo tibi loquatur: & simul vivo timore concutere, ne, si inobediens fueris, penitus omni Dei gratiâ excidas.*

Cui multum datum est, multum queretur ab eo. *Luc. 12.*

Gratiam sequetur judicium. *S. Basilius.*

D E C I-

## DECIMUS SEPTIMUS DIES.

### *De usu Temporis*

I. Aetura temporis potest censi inter perturbatissimas mundi confusiones. Praesens haec vita brevis est: singula ejus momenta summi sunt pretij; & nihilominus complures talem vitam vivunt; ac si crederent, se in terra immortales esse, nec unquam animum e corporis vinculis educendum.

II. Ah, si damnatis vel unicum temporis momentum, quod à nobis tam prodigè impenditur, à Deo concederetur! quam putas ejusdem haberent rationem? quodlibet punctum vitae nostrae sufficit ad lucrandam totam felicitatem æternā. Nullam occasionem recreationibus, aut voluptatibus, aut divitiis colligendis assignatam negligimus; at temporis, quo salus procuranda, nulla cura est.

III. Quam putas te diem fructuosiùs impendere? an illam, quâ negotiorum tuorum prosperum vides successum, & divitiarum accessum? nequaquam. Dies haec est optima quâ excentur virtutes, augentur merita, & Deus laudatur, ejusque maius queritur obsequium: denique id temporis Deo gloriam,

K 2

nobis

nobis gratiam confert, quo interrogatus, quid agis? in veritate responderis: Deo labore, & salutem meam operor.

*Renovabis factam suprà resolutionem, ac propositum Deo ter Optimo Maximo serviendi; ac omne tempus Deo non impensum perditum arbitraberis.*

Nemini dedit spatium peccandi. *Eccles. 15.*

Vacat tibi, ut Philosophus, non vacat, ut Christianus sis. *S. Paulin.*

## DECIMUS OCTAVUS DIES.

*De usu Sacramentorum.*

I. **N**ovæ legis Sacraenta sunt canales, per quos nobis sanguis & merita Iesu Christi abundè communicantur: sunt scaturientes seu fontes gratiarum nostræ salutis necessariarum. Quisquis iisdem abuti non reformat, is neque merita Christi inefficacia sibi reddere timet; imò saluti suæ omnes præcludit aditus. Vah! quæ dementia!

II. Abuti Sacramentis est impedire effatum eorundem. Dum male dispositus eadem participare præsumis; Nunquid jure meritò trepidas? dum post tot exactas sacramentales confessiones, vitæ & morum emendationis

dationis nihil apparet? toties frui carne agni immaculati, & ducere quotidie vitam bestialem, argumentum est reprobationis. Qui vel semel dignè de ara vivifica se reficit, is fortitudinem participat, & vires ut per quævis supplicia ad Martyrii palmam properet. Quid tu sentis de te ipso?

III. Est, quòd jure multi totis tremant artubus, dum sacrosanctæ huic accumbunt mensæ citra ullam contritionem & peccati dolorem: manducant enim sibi iudicium & damnationem, juxta doctrinam S. Pauli. Ecquando contumeliam sanguini Iesu Christi toties sacrilegè sumpto illatam resarcies?

*Expendes singulos defectus tuarum confessio-  
num, communionum; & generoso proposito ad id-  
te resolves, ne sic imposterum utaris Sacramentis,  
quasi post eadem sumpta continuò effes moriturus.*

Probet se ipsum homo. *Cor. 11.*

Sunt Christiani mali, qui vocantur fideles, & non sunt, in quibus Sacmenta Christi patiuntur injuriam. *S. August.*

### DECIMUS NONUS DIES.

*De Sacrificio Missæ.*

I. **M**issa, ut in Ecclesia Dei vocant, est re-  
præsentatio, seu renovatio quædam  
K 3 sacrificii

sacrificii in ara Crucis oblati. Quot diebus offertur à legitimè consecratis Sacerdotibus, quod unicâ tantum vice perfectum fuit in monte Calvariae. An potero quid Deo gratiùs aut acceptabile magis facere, quàm dum piè, ac reverenter huic divinissimo mysterio assisto : ut verò cum fructu intersim, habebo eandem cum Sacerdote sacrificante intentionem, Dei scilicet filium æterno Patri offerendi, aut unicum cor meum cum Iesu Christi, ut simul Deo utrumque in odorem suavitatis offeratur.

II. In singulas fere horas divinam Majestatem offendimus, & nostra peccata aliud non merentur, quàm pœnas æternas. Qui satis faciemus rigori divinæ justitiæ, nisi offendo, ac præsentando passiones & merita Salvatoris nostri, cui infinitis titulis inservire obligamur ? quidquid austeritatis subiérunt pœnitentes, tormentorum Martyres, afflictionum Confessores, quid confert absque Crucis sacrificio, cuius merita per incrumentum aræ sacrificium nobis applicantur.

III. Vix appareret, qui sit possibile, ut Deus tot peccata hominum tam patienter sufferre queat, nisi videret in singulis penè pagis, opidis,

pidis, urbibusque, quamvis sint vitiis disoluta, unigenitum suum super altare pacificam & propitiatoriam immolari victimam: cuius intuitus extensem in pœnas justitiae brachium retrahit. Quando peccata tua clamant vindictam, sanguis Iesu inclamat misericordiam. Adoremus supplices hanc hostiam, & frequenter flexo poplite ante aram Domino Majestatis præstemus homagium. Aulæ Regum abundant ministris, qui diu noctuque vigilis stant in obsequiis sui Principis: in Ecclesia, quæ Domus Dei est, vix quisquam apparet: quanta Christianorum ignavia!

*Resolveste, quot diebus, eâ reverentia, quam meretur, angustissimo huic Sacrificio interesse, idéoque perge ad Ecclesiam veluti ad montem Calvarie, ut assistas Christo pro temoriente.*

In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. *Malach, i. c.*

Tunc verò pro nobis hostia erit Deo, cùm nos metipso hostiam fecerimus. *S. Greg.*

## V I G E S I M U S D I E S.

### *De Eleemosyna.*

I. **Q**uis neget nos Christo obligatissimos esse: cui, ut possemus benefacere,  
K 4 pauperes

pauperes & egenos suo loco constituit. In Eucharistia moratur, ut eum adoremus : ipse autem adoratores carne & sanguine pascit. Est in pauperibus, ut nos ad compassionem commoveat, quā inducti eosdem nutriamus & alamus. Magna felicitas habere gratiam dandi eleemosynas propter Christum : at infelix ille cui hæc gratia non contigit. Canes pascis, *Iesum* finis fame emori : o qualis injustitia ! qualis barbaries !

II. Quod elargiris divitibus, penè perditum est; quod Deo, semper cum fænore recipitur, usque ad cōdū, ut nec haustum frigidæ sine larga recompensatione admittat. Volutptatum immodicus usus, luxus & pompæ, convivia superflua, mille & plures familias ad incitas redegerunt : Eleemosynæ debitâ intentione factæ ne uni nocuere. Benefacere Christo in pauperibus quæstuosa est, & facilis ars sine tcelere ditescendi.

III. In die judicij extremi juxta mensuram exhibitæ egenis & indigentibus misericordiæ feretur decretoria æternitatis sententia. Quid respondebunt ante districtum Dei tribunal divitiarum iniqui possessores, quando

do membra Christi per pauperes, & in his ipse  
Judex eorum hisce exprobabunt duritiem,  
*ite maledicti in ignem eternum, esurivi enim, &*  
*non dedistis mihi manducare, nudus fui, & non*  
*cooperuistis me.* Quantum in pauperes immi-  
sericors es, in tantum es reprobus: verè beni-  
gnus & liberalis in inopes magnum habet ar-  
gumentum suæ adoptionis in filium Dei.  
Quid poterit Judex supremus contra nos a-  
gere, ubi se veste à nobis donatâ coniectum  
videt: quando pariem & argentum pauperi-  
bus submissum in suis intuetur manibus: non  
est, quod metuamus ad justitiae tribunal, ubi  
pauperes patrocinabuntur causæ nostræ.

*Expende, qua liberalitate sis in pauperes, quo-  
modo eisdem compatiaris: utrum eos velut mem-  
bra Christi venereris: an tua obligationi circa  
eosdem satisfacias, & hactenus satisfeceris.*

Fœneratur Domino, qui miseretur pau-  
peris. *Proverb. 19.*

## VIGESIMUS PRIMUS DIES.

*De malo exemplo.*

I. **N**umerus illorum, qui malo exemplo  
interierunt, major est, quam sit eo-  
K 5 rum,

rum, qui Sanctorum instruōtione subtraēti  
vitijs, cælesti fruuntur gloriā. Si lubet, adi in-  
feros, causam damnationis singulos interro-  
ga; qui vix aliud respondebunt, quām hujus,  
aut istius perversi mores occasionem dede-  
runt meæ damnationi. Præceptum est domi-  
nicum, ut inimicos nostros diligamus: quan-  
ta ergo perversitas innocentes animas vitæ  
improbæ exemplo destruere: salutis suæ præ-  
sentius nullus subit periculum, quām qui a-  
nimas sanguine Dei redemptas, & cælestis  
gloriæ capaces addicit supplicijs æternis:  
quid speres consequi à Christo Iesu, cui sub-  
trahis homines tanto pretio redemptos.

II. Est, quod merito timeatis, ô parentes!  
si vitam Christiano nomine minus dignam  
ducatis: præstaret filios vestros aut nun-  
quam, aut certè à vobis natos non fuisse. An  
ideo eis dedistis vitam, ut morti & quidem  
æternæ traderetis: quando in judicio ultimo  
proles vestra à vobis metipls seducta, audiet  
damnationis suæ irrevocabilem sententiam,  
ô quanta vos confusio subibit!

III. Induamus, monente S. Paulo, *Dominum*  
*nostrum Iesum Christum*; ejus nos vestiamus  
spiritu, prudentia & virtute; ita ut frequen-  
tem

tem ipsius habeamus memoriam; ut, sicut ipse ambulavit, ambulemus & nos, converratio enim si bona fuerit, haud minus ad salutem confert proximi, quam scandalosa ad ejusdem damnationem.

Petes veniam delicti tui, quod proximo occasione & causam ruinæ spiritualis incaute, aut quod peius, malitiosè præbueris: quid opus est, ut conscientiam tuam alienis peccatis oneres? tuatibi crimina sat grave onus imponent.

Væ homini, per quem scandalum venit.  
*Marth. 18.*

Pro tantis reus, quantos secum traxerit in reatum? *Salvian.*

## VIGESIMUS SECUNDUS DIES.

### De Cruce.

**H**aud ideo te Christo nomen dedisse arbitreris, ut opibus & honoribus studias, vel voluptatibus, & vitæ illecebris diffluas; non inquam Christianorum est ista profiteri. Mundi opiniones relinquas mundi amatoribus. Tua vita sit cum Christo crucifixo; cuius Crucem quanto minus amaveris, tanto plus fidei Christianæ renuncias.

II. Au-

II. Audi Evangelium: *Beati qui lugent: vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram in hoc mundo.* Ecce doctrinam Spiritus Sancti; at eò fervor Christianorum jam recedit, ut peregrina ista & barbara videatur: plurisq; eam faciant Japones, ubi certatim martyrio accurrint, quām Europæi, qui adeò crucem oderunt, ut eam vellent ex Evangelio erasam: an credis beatos illos, qui lugent, & infelices, qui consolationem suam habent in hoc Mundo? Interim est, & manet attulus sanctæ nostræ fidei: cui non minus nos assentiri necesse est; quām illi, in quo proponitur mysterium SS. Trinitatis, aut dominicæ incarnationis.

III. Nunquid oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Nunquid hanc crucis viam, quotquot cælos ingressi sunt, tenuerunt? & nos delicati sine ullis æternis, aut malorum perpessione prætendimus id possidere, quod Dei filio, ejusque electis tanti stetit; Crucis amor est nota prædestinationis & argumentum divini favoris. Homo, qui refutat pati, proximus est, ut reprobetur: aut ergo hic temporaliter, aut alibi æternū patere.

*Adora*

*Adora Dei Filium è Cruce pendentem, & pete fieri particeps ejusdem crucis, ut vitâ gloriosâ merearis aliquando cum eo frui.*

*Qui non bajulat Crucem suam, non est me dignus. Luc. 14.*

*Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum. S. Bernardus.*

## VIGESIMUS TERTIUS DIES.

*De confidentia in Deum.*

I. **C**orporis valetudinem, si minus fuerit prospera, artis medicæ perito confidimus: causas litigiosas Jurisperitis committimus: oculis privatus sèpè ab infante, non nunquam à cane circumducitur, & securum se arbitratur: quantò magis sub Dei protectione tuti latebimus: si tamen Domino confidimus.

II. Quid reformidet homo ad Dei factus imaginem, & immenso pretio sanguinis Iesu Christi redemptus? cùm credit & videt, quod cura divinæ providentiae ad formicas, ad muscas usque sese extendat? Infideles, qui Deum non cognoscunt, nutriuntur à Deo; impii & scelerati, qui blasphematores sunt sanctissimi ejus

*ejus nominis, complura accipiunt beneficia  
cælestia: quid ergo erit tibi, qui Deum agno-  
scis, times, honoras, & amas?*

III. Spes cujuscunque boni securius in  
Dei, quam in nostris quiescit manibus: ipsum  
sinamus de nobis disponere, *Pater noster*,  
simul & *Mater* est: teneritudo amoris, quem  
in filios suos gerit, non sinet esse immemo-  
rem eorundem: protecturum nos se promi-  
fit, stabit utique verbis suis veritas: cælum &  
terra citius peribunt, quam sinat sperantem  
in se perire Deus.

*Vide, ô homo! an conscientia tua tibi det  
testimonium, quod in Dei bonitate, & meritis  
Iesu Christi confidas.*

*Deus meus es tu: in manibus tuis fortis  
meæ. Psalmo 30.*

*Projice te in eum; non se subtrahet, ut  
cadas. S. Augustinus.*

### VIGESIMUS QUARTUS DIES.

*De amore Dei.*

I. **S**ic Deus dilexit mundum, ut dederit filium  
*suum unigenitum:* melius quid si habui-  
set, utique & illud nobis donasset: quo quæ-  
so

so præstantiori pretio nostrum ille poterat amorem emere? bonum mediocre habet in se, unde possit & debeat amari; cur ergo non ameritur bonitas undiq; infinita? an ideo refugis amare Deum, quia bonum infinitum est?

II. Præceptum est, & absolutè præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum.* Quid hæres dubius? an hujus mandati rigor nimius, ut dicis, te terret? arduum non est amare pulchritudinem infinitè amabilem. Ille præcipit se amari ex toto corde; quid minus infinitè amabilis Deus exigat à corde, quod adèò modicum & limitatum est? qui totum exigit, nihil excipit. Si partem ejus, quod petitur, dederis, vel minus æquo, vel nihil dederis.

III. Ipsi Dæmones, modò æternitas finiri posset, haud ægrè supplicia acerbissima inferni ad extremum usque diem judicij sustinerent; dummodo gratiam amandi Deum obtinere possent. Nullus damnatorum est, qui se infelicem existimaret, modò post quantalibet poenarum sæcula vel exigua a fulgeret spes unicum aëtum divini amoris eliciendi; nobis quolibet momento, si velimus, potestas est, amandi Deum; hoc negligere malum est ipsomet pejus inferno. *Ab-*

*Abdicato cujuscunqne rei creat& amore, con-  
zende, ut Deum ex omnibus viribus diligas.*

*Si charitatem non habuero , nihil sum.*

*I. Cor. 13.*

*Si amare pigebat, redamare non pigeat.*

*S. Augustinus.*

## VIGESIMUS QUINTUS DIES.

*De amore Domini nostri Iesu Christi.*

I. PRæstantia animæ rationalis ex pretio,  
eiusdem causâ persoluta æstimari de-  
bet: quanti ergo stetit? morte Dei, vita divi-  
na: Inferni supplicia iniquitates nostræ pro-  
merebantur: Dæmones & omnes creaturæ  
urgebant criminum punitionem: quid Chri-  
stus? loco vindictæ paravit misericordiam: at  
quantam! infinitam scilicet; dum vitam &  
sanguinem, in probrolo a cruce pro nostra re-  
demptione profudit: excitet ergo & impel-  
lat amorem tuum, si non Dei te creantis be-  
nignitas, saltem Iesu Christi te redimentis  
charitas. Minimum, quod Christo debes, est,  
recentem servare beneficiorum memoriam.  
Si nolis vitam pro eodem exponere, saltem  
amorem reddere mutuum.

II. Cani

II. Cani porrigitur os aliquot homini in-  
utile; & brutum animal pro tantillo benefi-  
cio amat, blanditur, & tuetur suum benefi-  
ctorem: *Iesus* Salvator prævenit nos suis auxi-  
lijs, comitatur, & subsequitur; redemit nos  
suo sanguine, meritorum suorum facit nos  
participes, communicat nobis omnes thesaui-  
ros suos, & tamen adeò indurati manemus ad  
amorem mutuum. Disce ô homo: disce, si  
tamen homo sis, non brutum, tuæ satisfacere  
obligationi, tuus te canis instruit, imò & judi-  
cat: hujus exemplum ni te reformaverit, ipsis  
bestijs magis bestialis es.

III. Cor habemus tenerium in obse-  
quium & amorem amicorum. Eorundem  
beneficia, si quæ conferant, & magnificant, us,  
& reddere nitimur: ubi beneficia Christi re-  
ciprocō amore recompensa sunt, ipsi s  
axis insensibiliores manemus: quis amico-  
rum prote cruci affigi se finet? ni *Anathema* sis.

*Corde contrito & humiliato, pronus in ter-  
ram gratiam à Christo Iesu petes, absque ejus gra-  
tianemò dignè amare potest.*

Si quis non amat Dominum J E S U M, sit  
anathema. *1. Cor. 16.*

L

Si to-

Sit totum me debo pro facto, quid addam  
pro refecto, & refecto hoc modo. *S. Bernard.*

## VIGESIMUS SEXTUS DIES.

*De amore proximi.*

I. **Q**ui non amat proximum suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo amabit? omnia opera nostra quantumvis videantur bona nulla sunt, nisi dilexerimus fratres nostros. Ipsi etiam Martyres sine charitate abominabiles sunt Deo.

II. Ecce, *Hoc est præceptum meum, dicit Iesus,* ut diligatis vos invicem, sicut dilexi vos. Ut diligam proximum meum, sicut me ipsum: sufficit eundem à Iesu Christo amatum esse amore verè incomprehensibili. Delicatus sim necesse est, nisi medullitùs amem id, quod Salvator meus plus quam scipium dilexit.

III. Diliges proximum tuum, sicut eundem dilexit Christus; hoc est, ejus amore bona temporalia, imò & vitam profundes. Forene hoc nimium proChristianò! Interim ejusmodi amatores verè sunt Christi imitatores, & ejusdem futuri possessores.

*Excita in te desiderium & voluntatem efficacem*

cem eos verè amandi , quos Christus tam tenerè dilexit : addes propositum : nunquam per Dei gratiam ledendi proximum .

Qui diligit proximum suum, legem implevit. Rom. 13.

Dilectio sola discernit inter filios Dei & filios Diaboli. S. Augustinus.

## VIGESIMUS SEPTIMUS DIES.

*De dilectione inimicorum.*

I. **A** Deò proprium est Christianorum habere dilectionem , ut obligemur & ipsos inimicos diligere. Iesus Christus prævit nobis exemplo, cui & addidit præceptum : Deus imperat & homo prætendat obediendi difficultatem ? Deus in Cruce oravit pro inimico & tortoribus, & tu exiguam condonare injuriam refugias : ô qualis Christianus !

II. Quantum quisque fratri suo remiserit, tantum & non plus remittetur ei à Deo, Eadem quippe mensura quâ mensi fuerimus , remetietur nobis. Christianus, qui querit vindictam, toties semetipsum damnat, quoties Orationem Dominicam recitare prælumperit. Ergo inimicos nostros diligamus, aut nos ipsos oderimus. L. 2 III.

III. Duo Christiani, qui se invicem odijs & simultatibus persequuntur, videntur diversæ esse religionis, nec unam sectari fidem. Quomodo enim illi, qui animis toti inter se dissident, eidem appropinquabunt altari, eandem credent paraditum, & æternum simul commorari sperabunt? Non est licitum odisse nisi Dæmones, horum & omnium damnatorum est, dissidijs à se invicem separari. Reprobationis non est apertius signum, quam nolle inimicis errati dare veniam. Hoc in te si sentias, notam habes, ex qua cognoscas, hæredem te esse inferni.

*Conscientiam tuam solerter ante Crucifixum  
Salvatorem excute, ac si in eadem rancorem aut  
odium proximi repereris, de vulneribus Christi  
charitatis ignem succendes.*

Qui non amat fratrem suum, homicida est. *I. Ioan. 3.*

Vindicari vis Christianus? nondum vindicatus est Christus. *S. Augustinus.*

## VIGESIMUS OCTAVUS DIES.

*De imitatione Salvatoris nostri.*

I. **P**rimus homo, dum Dei ambit similitudinem, perit: reliqui omnes, nisi studeant

ant filio Dei assimilari, salvari non possunt. Is dum factus est homo, se normam vitæ humanae & morum regulam proposuit: necessarium est, illius nos imaginem exprimere: cumque ipse sit caput prædestinatorum, ab eis quo longius similitudine recedimus, eò reproborum numero viciniores sumus.

II. Quantâ curâ & sollicitudine intendunt homines novis rationibus & modis ad luxum pertinentibus: de vita Iesu Christi & ejus imitatione quis est, qui recognitet? aulici efformant in se mores suorum Principum, discipuli magistrorum mores, etsi turpes & deformes, ad insaniam usque imitantur: Et quis est, qui vel unam eamque seriam *Cogitationem* de virtutibus filij Dei suscipiat? O quanta confusio mea, quod hucusque tam exiguum fecerim progressum, imò ne gradum unum promoverim in Christo imitando! ille præcedit missis divinis, & pollicitationibus allicit, & vix unus est, qui sequatur. Quantum probrum!

III. Quid, amabò, poteris in die Judicij extremi excusationis prætendere tuis perversis moribus; quando Christus ipse regula omnis honestatis tuam tibi ignaviam in sui

sequela objicit : suam ille vitam opponet tuæ, suam humilitatem nostræ superbiæ, sua sanctissima Vulnera nostræ mollitiei & illecebris. Ah ! quale prodigium ! Christianus absque eo quod imitetur Christum ! baptizatus, manet Diaboli mancipium ; sub crucis vexillo positus, carnem sequitur & mundum ! aut renuncies baptismo, & factæ Christo professioni, aut vitam vivas conformem vitæ tui Salvatoris ; *Christianus tantum est, qui sequitur Christum.*

*Labora ac enitere, ut Dei filium exemplo & vocete vocantem, imò & trahentem non invitius sequaris, ut tandem assequaris.*

Magister sequar te , quocunque ieris,  
Matth. 8.

Sine causa sum Christianus , si Christum non sequor . S. Bernardus.

## VIGESIMUS NONUS DIES.

*Cultus Beatae Mariæ Virginis.*

LePro Otiūs eligam non vivere , quām non  
devotus vivere *Mariæ* ; cor durum in-  
cultum Virginis *Mariæ* evellatur , si non mi-  
tescat. Animus humanus aut nihil amet , aut  
amet

amet Virginem matrem, aut plane cesseret vivere. Deus ipse puras inter creatureas meo amori nihil excellentius, aut purius, aut amabilius, aut melius creaverit. Quantam ergo existimationem & reverentiam, quem amorem & confidentiam in hanc virginem Matrem habere nos convenit.

II. Si, quod Deus avertat, eò infelicitatis reciderem, ut nulla pietatis, aut consuetæ devotionis scintilla in me remaneret; cultum tamen Virginis *Mariae*, dum vita supererit, illæsum servabo: quascunque in angustias aut animi desperantis anxierates incidero, dum spiro, sperabo in hac Virgine: hæc mihi asylum erit & refugium: ejus patrocinio gratiam veræ conversionis habebo: et si starem in præcipitio lapsûs in tartara, clamabo & invocabo *Mariam*, ejus intra brachia ero securus: Cliens *Mariae* nullus æternū perit.

III. *Maria* Virgo thronus est clementiæ, ad quem securè peccatores configiunt, opponéntque Justitiæ Dei ejusdem Matris misericordiam. Non parva portio gloriæ & felicitatis in cælis *Mariae* est: quod beneficia suis cultoribus impetrat, & gratiam peccatoribus quantumvis induratis à filio obtine-

L 4 at; si

at; si impijs benignam se & facilem præbeat,  
qualis Virginea hæc Mater erit in suoſ clien-  
tes, & fideles ſervos? an poterit Mater miferi-  
cordiæ ſententiæ ſuos condeſtantि ſubſcri-  
bere? nequaquam: ſumus enim & manemus  
in poſſeſſione ejus bonitatis à mille ſexcentiſ  
annis & pluribus: nunquid ſpes noſtras ho-  
die incipiet conſuſdere? gravius neimolæ-  
ſerit Deiparæ honorem, aut ſibi ipſi pluſ no-  
cuerit, quām diſſidendo ejus patrociinijs.  
Tum ſciam me certò reprobum, ubi cultum  
*Mariae* ſe poſuero.

*Concipere firmum propositum innovandæ devo-  
tionis in hanc Virginem, & ex toto corde pronun-  
tiaſ ſequentia:*

Dominare noſtri tu & filius tuus. *Iud. 8.*  
O nomen *Maria*, ſub quo nemini deſpe-  
randum eſt. *S. Augustinus.*

### TRIGESIMUS TERTIUS DIES.

*Devotio in ſanctum Iosephum.*

**I.** *P*Anegyrim ſanctissimi Iofephij duobus  
verbis complexus eſt Spiritus ſanctus,  
dum cum Sponſum *Mariae* & Patrem *Iesu* ap-  
pellavit. Non appetet, quomodo Deus pu-  
ram

ram creaturam altioris dignitatis gradu decorare potuisset, nisi vel *Iesu* aut *Mariae* æqualem redderet: esse similis cum Matre *Dei* eminentiæ, supplere locum & officium æterni Patris inter mortales, hæc enim verò adeo sublimis est dignitas, atque supereminens perfectio, ut hominum nullus ejusdem posse esse capax videatur.

II. Sanctus Josephus unicus est dispensator thesauri cæli: si quæ ingruat necessitas, de eadem Sponsum Christi interpellat: quidquid per ordinarium cursum divinæ providentiæ difficile obtentu videtur, hujus sancti intercessione facillimè obtinetur: quid *Iesus Christus* abneget illi in cælo, cui subesse voluit in terris.

III. Devotio in hunc Sanctum vel ex eo crescat necesse est, quod haud minor ejus sit bonitas, quam potentia. Ut pater Salvatoris nostri & conjux *Mariae* Virginis fidelium omnium non minorem gerit curam, quam parentes propriorum filiorum. Post tot præstata ab ipso officia *Iesu* & *Mariae*, quomodo non volet assistere ijs, quos sancta Virgo tenerimè amat; & pro quibus *Iesus* ipse mortem subiit.

*Anima tua quietem in manibus sancti Josephi  
inquiras, ab eoque quot diebus gratiam efflagites,  
eo modo moriendi, quo ipse intrabrachia Jesu &  
Mariæ exspiravit.*

Ite ad Joseph. Gen. 41.

*Quām Potentiores sunt in cælis, qui tam  
potentes fuere in terris. S. Bernardus.*

### TRIGESIMUS PRIMUS DIES.

*Cultus sanctorum Angelorum.*

I. **C**uique hominum à Deo assignatum Angelum Tutarem, communis est sensus Ecclesiæ. Si Princeps ex imperio Regis homini plebejo inserviret, ejus negotiorum curam ageret, quantus hic esset honor? at qualis illa beatorum spirituum bonitas, & submissio, quod vilibus nobis & abjectis peccatoribus non solum adesse, sed cum gudio inservire, & nostri curam gerere non graventur. Inter Principem & rusticum saltem aliqua proportio, at hominem inter & Angelum nullare reperitur.

II. Sublimes illi & cælestes spiritus, nostri custodes, sine intermissione adsunt Clientibus

bus suis, adhærent eorum lateri, habent eos continuo in oculis, sunt testes attentissimi omnium actionum, quantumvis secretarum. Si continget te quot diebus & horis adesse, viro majestate & morum honestate gravi, & conspicuo, an audebis dissolutius agere, aut gestus indecentes formare, aut his turpius quid patrare? an homo magis timendus & observandus, an Angelus custos?

III. *Spiritus hi administratorij*, tales enim sunt omnes, adeo ferventes sunt in nostra obsequia, ut sui quodammodo oblii nostris tantum videantur velle inservire commodis; at quid mutui nos illis obsequij reddemus? illi nos illuminant in rebus agendis; preces nostras, quas fundimus, Deo offerunt; consolantur in adversis; pericula corporis & animi divertunt; in temptationibus, ut victores evadamus, assistunt; tuerunt contra inimicos; quot horis excitant ad pœnitentiam & Dei amorem; frequenter nos admonent, ut peccata fugiamus; non raro ipsi Angeli suos Clientes castigant; denique nihil eorum intermittunt, quæ saluti nostræ conducunt. Itaque indignus est hæc angelicâ tutelâ, quisquis Angelo suo nec reverens nec devotus assistit.

Ix

*In hoc frequens sis, ut te Angelo tutelari tuo  
frequenter commendes; rogando, ut tibi in omni-  
bus periculis, maximè in occasionibus peccandi  
& hora mortis assistere dignetur.*

Angelis suis mandavit de te, ut custodiant  
te in omnibus vijs tuis. *Psalmo 90.*

*In quovis diversorio, in quovis angulo,  
Angelo tuo reverentiam habeas. S. Bernard.*

AD. S. ANTONIUM DE PADUA.

*Si queris miracula, mors, error, calamitas, dæmon, lepra, fugiunt: ægri surgunt sani:  
Cedunt mare, vincula, membra, resque perditas petunt, & accipiunt juvenes & cani.  
Pereunt pericula cessat & necessitas: narrent  
hi qui sentiunt, dicant Paduani.  
Cedunt &c. Gloria &c. Cedunt &c.*

¶. *Prædicator egregie ora pro nobis*  
*Ant. beatissime.*

¶. *Ut tua interventione percipiāmus*  
*gaudia vitæ.*

#### O R E M U S.

*Interveniat pro nobis quæsumus Domine  
Sanctus tuus confessor Antoni⁹ quem virtu-  
tibus miraculorum prodigijs & signis de-  
corasti. Per Christum &c.*

I N D E X

## INDEX DIERUM.


<i>Dies</i>	<i>1. De Fide.</i>	<i>Pag. 119</i>
	<i>2. De Fine Hominis</i>	<i>121</i>
	<i>3. De Mundi contemptu.</i>	<i>122</i>
	<i>4. De morte.</i>	<i>124</i>
	<i>5. De extremo Iudicio.</i>	<i>126</i>
	<i>6. De inferno.</i>	<i>127</i>
	<i>7. De Aeternitate pœnarum inferni.</i>	<i>129</i>
	<i>8. De Paradiso.</i>	<i>131</i>
	<i>9. De Praesentia Dei.</i>	<i>132</i>
	<i>10. De habenda cura suæ salmis.</i>	<i>134</i>
	<i>11. De horrore peccati.</i>	<i>136</i>
	<i>12. De Pœnitentia.</i>	<i>137</i>
	<i>13. De non differenda vita emendatione.</i>	<i>139</i>
	<i>14. De respectibus humanis.</i>	<i>141</i>
	<i>15. De diffidentia sui ipsius.</i>	<i>143</i>
	<i>16. De usu divinorum auxiliorum.</i>	<i>145</i>
	<i>17. De usu temporis.</i>	<i>147</i>
	<i>18. De usu Sacramentorum.</i>	<i>148</i>
	<i>19. De</i>	

( 174 )

19. <i>De Sacrificio Missæ.</i>	149
20. <i>De Eleemosyna.</i>	151
21. <i>De malo exemplo.</i>	153
22. <i>De Cruce.</i>	155
23. <i>De confidentia in Deum.</i>	157
24. <i>De amore Dei.</i>	158
25. <i>De amore Domini nostri Jesu Chr.</i>	160
26. <i>De amore proximi.</i>	162
27. <i>De dilectione inimicorum.</i>	163
28. <i>De imitatione Salvatoris nostri.</i>	164
29. <i>De cultu Beatae Mariæ Virginis.</i>	166
30. <i>De Devotione sancti Josephi.</i>	168
31. <i>De cultu sanctorum Angelorum.</i>	170









Böken vordan schwartzen Raben  
five Wambrer. C: 326.



